canonico ecclesiae nostrae Spirensis, licenciato in decretis, aeternam in Domino salutem. Literarum scientia ac probitatis et virtutum tuarum merita per fidelem et diuturnum famulatum a te nobis impensum nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque officium thesaurariae ecclesiae nostrae ex eo nunc vacare coepit et vacet, quod honorabilis etiam in Christo nobis dilectus Conradus de Hirtzhorn, canonicus praebendatus praedictae ecclesiae nostrae, tunc ipsum officium thesaurariae obtinens, officium cantoriae ejusdem ecclesiae nostrae sibi per nos collatum et ejus possessionem quietam nactus existit et ob hoc ipsum officium thesaurariae ad manus nostras libre dimisit, cujus quidem officii dum vacat collatio seu quaevis alia dispositio ad nos pertinere dignoscitur, nos praemissorum meritorum tuorum intuitu idem offiicium thesaurariae praescriptum praemisso vel alio quocunque modo vacans tibi duximus conferendum et cum omnibus juribus et pertinentiis suis conferimus in hiis scriptis, te nichilominus per birreti impositionem investientes de eisdem. Quocirca venerandis viris, in Christo nobis dilectis, decano et capitulo dictae ecclesiae nostrae Spirensis, nec non universis et singulis aliis, quorum interest vel intererit, communiter et divisim tenore praesentium districte praecipiendo mandamus, quatenus te ad dictum officium thesaurariae et ejus ac omnium jurium et pertinentiarum ipsius possessionem quiete recipiant et admittant, tibique de fructibus, redditibus, proventibus, juribus et obventionibus universis, in quantum ad eos et eorum quemlibet pertinet, respondeant et faciant ab aliis responderi. In quorum testimonium praesentes literas fieri et per notarium publicum infrascriptum (Joannem Reusch) in publicam formam redigi mandavimus nostrique sigilli appensione jussimus communiri. Datum et actum in atrio palatii seu aulae episcopalis nostrae Spirensis sub anno Domini millesimo quadringentesimo tertio, indictione XI. pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Bonifacii, divina providentia papae noni, anno decimo quarto, die undecima mensis februarii, hora vesperarum vel quasi, praesentibus ibidem honorabilibus et probatis viris, magistro Reinboldo Vener de Gamundia advocato curiarum ecclesiasticarum Argentinensium, Henrico Eberlin canonico et Henrico de Durlach vicario ecclesiae sancti Germani extra muros Spirenses, testibus ad praemissa vocatis pariter et rogatis.

Digitized by Google

23. ***Raban bischof zu Speyer vergiebt das amt des kämmerers an der dortigen cathedrale dem domcapitulare Egloff von Knöringen. Speyer, 1403 feb. 11.***

Rabanus Dei et apostolicae sedis gratia episcopus Spirensis, honorando in Christo nobis dilecto Egloffo de Knoringen, canonico ecclesiae nostrae Spirensis, licentiato in decretis, aeternam in Domino salutem. Literarum scientia ac probitatis et virtutum tuarum merita per fidelem et diuturnum famulatum a te nobis impensum nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque officium camerariae dictae ecclesiae nostrae nunc vacare coepit et vacat ex resignatione libera pariter et dimissione ejusdem officii camerariae per similiter in Christo nobis dilectum Conradum de Hirtzhorn, olim camerarium ipsius ecclesiae nostrae, ad manus factis et per nos admissis et receptis, nos volentes motu nostro proprio, nullius precibus aut instantiis nobis ob hoc pro te factis, imo potius ex mera liberalitate nostra tibi gratiam facere specialem, idem officium camerariae, cujus collatio seu quaevis alia disposito dum vacat ad nos dinoscitur pertinere, praemisso vel alio quocunque modo vacans, tibi duximus conferendum et cum omnibus juribus et pertinentiis suis conferimus in hiis scriptis, te nichilominus per birreti impositionem investiemus de eisdem. Quocirca venerandis viris, in Christo nobis dilectis etiam, decano et capitulo dictae ecclesiae nostrae Spirensi, nec non universis et singulis aliis, quorum interest vel intererit, communiter et divisim tenore praesentium districte praecipiendo mandamus, quatenus te ad dictum officium camerariae et ejus ac omnium jurium et pertinentiarum ipsius possessionem quiete recipiant et admittant, tibique de fructibus et redditibus, proventibus, juribus et obventionibus universis, in quantum ad eos et eorum quemlibet pertinet, respondeant et faciant ab aliis responderi. In quorum testimonium sigillum nostrum praesentibus duximus appendendum. Datum et actum in atrio palatii seu aulae nostrae episcopolis Spirensis, anno Domini millesimo quadringentesimo tertio, die undecima mensis februarii, hora completorii vel quasi, praesentibus venerando et perito viro, magistro Reinboldo Vener de Gamundia advocato curiarum ecclesiasticarum Argentinensium, nec non discreto viro Henrico de Durlach, rectore ecclesiae parochialis in Sufelnheim, Argentinensis dioecesis.

Digitized by Google

24. *Die richter zu Speyer bestätigen die ächtheit einer urkunde des königs Adolf vom jahre* 1292 *nov.* 27.

Nos judices Spirenses ad universorum notitiam volumus pervenire, quod . . . literas domini Adolphi, Romanorum regis serenissimi, cum sigillo a tergo apposito, non abolitas, non corrosas, non cancellatas, nec aliqua in parte ipsarum viciatas, prout prima facie apparebat, vidimus et eas de verbo ad verbum legimus et in cujus testimonium sigillum nostrum huic paginae apposuimus. Quarum literarum tenor talis est: Adolphus Dei gratia Romanorum rex semper augustus, prudentibus viris, sculteto, consulibus, nec non civibus universis in Esselingen, fidelibus suis dilectis, gratiam suam et omne bonum. Recordamur recordando admirantes non sufficius cogitare, quo ausu contra nostram prohibitionem moniales ad oppidum in Esselingen, quas admitti vetuimus, admisistis in praejudicium ecclesiae parochialis et gravamen. Quare vobis praecise committimus et mandamus, quatinus dictas moniales nullum aedificium in antea in dicto oppido construere vel erigere permittatis, donec ad vestram praesentiam personaliter veniamus, tunc etenim deliberabimus de maturiori consilio, quid expediat vel fieri valeat in hoc casu. Datum Hagenauwe quinto kalendas decembris regni nostri anno primo.

---

25. *Nikolaus von Königstein treibt im auftrag des bischofes Raban zu Speyer eine geldauflage ein. Speyer,* 1405 *nov.* 17.

Nicolaus de Konigstein, officialis Spirensis, a reverendo in Christo patre et domino, domino Rabano Dei gratia Spirensi episcopo commissarius ad infrascripta specialiter deputatus, venerandis et religiosis dominis, abbatibus, abbatissis, praepositis, prioribus, decanis, cammerariis ecclesiarum parochialium, rectoribus, vicariis, primissariis ac beneficiatis quibuscunque per terminos dioecesis Spirensis constitutos, sinceram in Domino caritatem et subscriptis firmiter obedire. Vobis universis et singulis in virtute sanctae obedientiae et sub poena excommunicationis, quam in non parentes ferimus et promulgamus in hiis scriptis districte praecipiendo auctoritate nobis in hac parte commissa, mandamus, quatinus infra triginta dierum spatium publicationis et notificationis praesentium vobis aut in dicta ecclesia Spirensi factarum, immediate sequentium, quorum dierum primos decem pro primo,

Digitized by Google

secundos alios decem pro secundo et reliquos decem pro tertio et peremptorio termino ac monitione canonica vobis et cuilibet vestrum quoad hoc praesentibus assignamus, quaelibet ecclesia et persona sive quodlibet monasterium venerabili viro, domino Joanni Boching, praebendario ecclesiae Spirensis praedictae, collectori et receptori ad hoc deputato, portionem ipsam et eos contingentem in summa unius contributionis seu procurationis dicto domino episcopo pro hoc anno concessae, modo et forma, prout hoc hactenus fieri est consuetum, praesentet, tradat et totaliter, nec non expedite persolvat. Caeterum omnibus et singulis decanis et camerariis supradictis communiter et divisim sub poena suspensionis a beneficiis suis praecipimus et mandamus, quatenus ipsi et eorum quilibet praesentem nostrum processum, quantocius potuerit, universis et singulis abbatibus et abbatissis, praepositis prioribus, monasteriis et conventibus in terminis suarum sedium constitutis, nec non capitulorum, quorum decani et camerarii existunt, personis insinuent et fideliter intimari procuretis, sciturі, quod contra rebelles aut negligentes in praemissis ad graviores poenas justitia mediante procedemus. In quorum testimonium sigillum judiciale curiae Spirensis ob carentiam proprii praesentibus est appensum. Datum Spirae anno a nativitate Domini MCCCC. quinto, feria tertia post festum beati Martini episcopi.

---

26. *Raban bischof zu Speyer theilet mit Friedrich von Ochsenstein das schloss Landeck. Landeck,* 1407 *april* 10.

Wir Raban von Gots gnaden bischoff zu Spire des Romischen kunigs cantzler vnd wir Friederich herre zu Ochsenstein, bekennen vnd tun kunt offenbare mit diesem briefe, daz wir vnsern teil der vesten Landecke, daz ist mit namen die vesten halber, miteynander geteilet haben. Vnd ist vns bischoff Raban worden vnd sollen han daz steynin huss gantz mit sime begriffe von vnden an biss oben vss vnd den gangk vor demselben steynin husse von dem stegen an als man heroff off den gangk kompt biss hinden vss mit dem stubel. So ist vns Friderich worden vnd sollen han daz nuwe beumin huss von vnden an biss oben vss vnd die hoffstad vor demselben huss hinfür biss an die kuchen. Item sol der gangk zuschen dem steynin huss vnd dem beumin huss, der zu dem sprachhusel geht vnd dasselbe sprach-

Digitized by Google

husel vnd die stege vnd der gangk off die muren zuschen den zwein husern, vns beden gemein sin, eyme teil als vil als dem andern. Item sal die stege gangk vor dem steynin huse vnd der gangk als man die stege hinoff kumpt biss vornen vss, gein dem tore zu als verre er get auch vnss beder gemein sin, vssgenommen die stege, die off demselben gange stet vnd oben in das steinhuss dienet, die sol vnss bischoff Rabans sin vnd vns die lassen steen. Vnd were ez, daz wir Raban oder vnssere nachkommen ein stuben machen wollten in vnssern steinhuse off die syte, die sich gein juncker Friedrichs huss saget, so mogen wir ein kemmer geschele vnd schornstein machen vnd setzen off denselben gemein gangk, wie sich das dann geboren worde. Item sollen alle wege vnd pfet zu den husern gende, wasserflusse, mist, schut, tunge vnd hoff vns beden gemein sin vnd bliben, als sie itzunt sint vnd von vnsser keyme vermacht oder verandert werden an geverde. Item sollen wir die gemeyn gange vnd stegen gemein buwen so ez not tud vngeverlich. Diese vorgeschrieben teylunge globen wir bischoff Raban fur vns vnd vnssern nachkommen bischoff zu Spire vnd wir Friederich herre zu Ochsenstein fur vns vnd vnssere erben by guten truwen vnd rechten wahrheit, ware, stete vnd vnverbrochenlichen zu halten. Vnd des zu eine vesten ewigen vrkunde, so hat vnser iglicher sin ingesigel tun hencken an diesen brieff. Vnd zu merer gezugnisse, so haben wir gebedten diese erbern vesten, Heinrich von Otterbach, Goetzen von Mulhofen den alten vnd Bertsche waltfaut zu Luterburg, die auch by diess teylunge gewest sint, vnd die beredet habent, daz ir iglicher sin eygen ingess zu gezugnisse vorgeschriben dinge hat gehenket an diess brieff, daz wir die ytzgenannte Heinrich von Otterbach, Goetze von Mulhofen vnd Bertsche waltfaut vns auch erkennen. Datum Landecke dominica, qua cantatur Misericordia Domini, anno Domini millesimo quadringentesimo septimo.

---

27. *Wernher erzbischof von Trier bestätiget dem bischofe Raban zu Speyer die freibriefe des bisthums. Coblenz,* 1407 *oct.* 11.

Wir Wernher von Gots gnaden erzbischoff zu Triere, des heligen Romischen richs inne welischen landen vnd durch das kunigreich zu Areladt ertzkanzler, bekennen vnd thun kunt offenbarn mit diesem briefe, daz wir dem erwirdigen

Digitized by Google

in Gott vatter herrn Raban, bischofe zu Spire, vnserm besundern guten frunde, sinen nachkommen vnd dem stieffte zu Spire zu allen vnd iglichen gifften, pantschafften, zollen, privilegien, gnaden, friheiten, hantfesten vnd briefen, die derselbe herr Raban oder sine furfaren bischove oder der stifft zu Spire von dem allerdurchleuchtigsten fursten vnd herrn, herrn Ruprechten von Gots gnaden Romischer kunige zu allen zyten merer des richs, vnserm lieben gnedigen herren, sinen furfaren Romischen keisern vnd kunigen vnd dem heligen riche, samentliche vnd besunder erworben vnd behalten hant, inne allen stucken, punkten vnd artigckeln, worten vnd meynungen, als sie begriffen sint vnd vsswisent, als ein erzbischoff zu Triere vnd kurefurste des heligen richs, vnsern guten willen, gunste vnd verhengnisse von rechten wissen geben vnd getan han, geben vnd thun in crafft diess briefs in aller forme vnd wise, als obe die vorgeschriben giffte, pfantschaffte, zolle, privilegia, gnaden, friheiten, hantvesten vnd briefe clerlichen vnd von worte zu worte in diesem briefe begriffen vnd genannt werent, vnd wie das dem vorgenannten herrn Raban, sinen nachkommen, bischoven vnd dem styffte zu Spire allerbaste zu nutzen vnd zu statten komen mag. Dess zu vrkunde han wir vnser ingesiegel an diesen brieff tun henken. Datum Confluentiae anno Domini millesimo quadringentesimo septimo, undecima die mensis octobris.

---

28. *Ruprecht könig urkundet auf den wald des domcapitels von Speyer zu Ketsch keine rechte zu haben. Heidelberg*, 1408 *mai* 6.

Wir Ruprecht von Gottes gnaden Romischer konig zu allen zyten merer des richs, bekennen, als ein pfaltzgrave by Rine, fur vns vnd alle vnsere erben der pfaltzgravenschafft by Rine vnd dun kunt allen den, die diesen brieff sehent oder horent lesen. Als vnser hoffmeister vnd amptlute sich waldes, wasser vnd weyde gein Ketsch gehorende vnd in der mark daselbs gelegen von vnsern wegen vndertzogen hatten vnd meinten das wir vnd vnser pfaltze recht darzu hetten, das sin wir mit vnsern altfurdern briefen vnd guter kuntschafft eigenlich vnderwiset worden, das die eigenschafft des waldes vnd der marcke vorgenannt dem meren stiffte zu Spire zugehoret vnd das wir vnd vn-

Digitized by Google

ser pfaltze kein recht darzu haben, weder an vogtyen, beschatzungen, herbergen, sturen, betden, dinsten, faren, bechen, wasser, weiden, oder an deheinen andern des vorgenannten waldes vnd der marcke zu Ketsch rechten oder gewonheiten. Vnd wir vnd vnsere erben pfaltzgraven by Rine sollen vnd wollen auch sie daran nit hindern noch irren in deheine wisse, sunder sie daby getruwelichen schirmen ane alle geverde. Vnd vmb das der vorgenannt wald nit schedelich verhauwen werde, so hant die obgenannt dechan vnd capittel des merer stifftes zu Spire vns vnd vnsern erben pfaltzgraven by Ryne denselben walt in schirmes wise bevolhen vnd auch ire besiegelten briefe daruber geben, doch also das die armen lute zu Ketsch vnd der der dasselbe ampt von des stiftes wegen innhat buwe vnd brenneholtz darinne hauwen mogen vnd auch der weyde desselben waldes mit yerem viehe geniessen. Vnd wir konig Ruprecht, als ein pfaltzgrave by Rine, gebieten fur vns vnd alle vnsere erben, allen vnd yeglichen vnsern amptluten, hofmeistern, vitztumen, vogten, vndervogten vnd dienern die yetzunt sint oder hernach werdent vesteclich vnd ernstlich by vnsern hulden, das sie die vorgenannten dechant vnd capittel vnd den stifft zu Spire an dem vorgenannten walde vnd marcke nit leydigen, irren noch beschedigen sollen in deheine wise, sunder sie von vnsern wegen daby getruwelichen schirmen, als vnser selbs gut vngeverlich, vrkunde diss briffs versiegelt mit vnser pfaltz anhangendem ingesigel. Geben zu Heydelberg nach Christi geburte vertzehen hundert jare vnd darnach in dem achten jare, vff den dritten suntag nach dem heiligen ostertage, als man in der heiligen kirchen singt Jubilate.

---

29. *Raban bischof zu Speyer theilet mit andern ganerben das schloss Meisterselden.* 1408 *juli* 22.

Es ist zu wissen. Als daz sloss Meistersal halber ist myns herren, herrn Rabans bischoff zu Spire vnd herrn Hannsen von Helmstad ritter, sins bruder vnd halben juncher Friderich von Ohssenstein vnd siner gemeyner vnd dasselbe sloss geteilt ist, also daz myne herren von Spire vnd herren Hannsen vorgenannt worden ist mit namen, der hinder felse, da der brunne inne stet von dem vnderscheit zuschen dem thorn vnd dem hindern felsen an biss hinden vss gegen

Digitized by Google

der drencke zu vnd daz steynern gehuse hienyden von der kuchen an, die an daz steynern huss stosset biss hinden vss an die snabelecke gegen die drencke zu vnd den clein stale davornen sol auch zu demselben hindern teile gehoren. Denselben nemlichen teile, der myme herre von Spire vnd herre Hannsen also zu geteilt ist, den haben sie furbass miteinander geteilt. Vnd ist myme herre von Spire worden vnd sol han. Zum ersten am obern velse die kammer by dem bornen vnd die nehste bune vff dem velse. So ist herr Hanss an demselben velse worden vnd sol han die nehste bune darnach, die vnder dem darrass steet vnd die genge sollen vff beiden syten offen bliben vnd gemeyne sin. Item hienyden in der burge ist myme herre von Spire worden vnd sal han daz steynern huss von der kuchen an biss hinden vss als der steynern giebel vff get an der snabelecke vnd den kleinen stale in dem vordern teile. So ist herre Hanns hienyden worden vnd sal han daz hinder steinhuss, daz man nennet die snabelecke, von dem nehsten giebel by snabeleck an biss hinden vss vnd den stale darunder, den man nennet die helle. Vnd herr Hanns sol auch recht han zu sime achtenteile in kelre, kuchen vnd backhuse, wann er ein achteil am sloss hat. Vnd sollen die genge offen bliben vnd gemeine sin. Vnd diess teilunge zu vrkund haben wir Raban bischoff zu Spire fur vns vnd vnssere nachkommen vnd ich Hanns von Helmstad ritter fur mich vnd myne erben vnss iglichen sin ingess gehangen an diese brieff. Der geben ward vff sant Marien Magdalenen tag anno Domini millesimo quadringentesimo octavo.

---

30. *Raban bischof zu Speyer belehnt den kurfürsten Ludwig von der Pfalz mit verschiedenen hochstiftlichen leken. Heidelberg,* 1408 *nov.* 11.

Wir Raban von Gots gnaden bischoff zu Spire, cantzeler etc. bekennen vnd tun kunt offenbar mit diesem brieve allen den, die yn sehent oder horent lesen, daz wir dem hochgebornen fursten, herrn Ludwigen pfaltzgrafen by Rine, des heiligen Romischen richs obersten truchsessen vnd hertzogen in Beiern, vnsern lieben herren vnd besundern frunde Wolffsberg die vesten, Nuwenstat die stat vnder Wintzingen gelegen, die vogtye zu Mussbache vnd Welrsauw die burg mit zwinge vnd mit banne, mit luten vnd mit guten vnd mit

Digitized by Google

allen zugehorden zu rechten lehen verlihen hann, alz die auch von vns vnd vnserm stiefft zu Spire zu lehen rurent vnd gent. Vnd der obgenannte hertzog Ludwigen vnd sine erben pfaltzgraven by Rine, sollent auch die obgenannte lehen von vns vnd vnserm nachkommen, bischoven zu Spire alle zyt, als dicke des not gescheen wirdet zu lehen enpfahen haben vnd tragen vnd auch vns, vnsere nachkommen bischoven vnd stifft zu Spire davon verbunden sin zu tun, als solich lehen recht ist ane geverde, als dann auch der obgenannte hertzog Ludwig die vorgeschriebene lehen yetzunt von vns entpfangen vnd gewonlich huldunge getann hat. Wer es auch, da Got vor sy, daz der obgenannte hertzog Ludwig von tods wegen abginge vnd nach sinem tode dochtere vnd keinen son noch mannlehens erben liess, so sollen vnd wollen wir vnd vnser nachkommen bischofe zu Spire alsdann diese vorgenannte lehen denselben dochtern vnd frauwen verlihen als dicke des not gescheen wirdet, doch also das sie vns, vnsern nachkommen vnd stiefft dieselben lehen vermannen sollen, als gewonlich ist ane alle geverde, vrkunde diess brieffs versiegelt mit vnserm grossen anhangenden ingesiegel. Datum Heidelberg ipso die beati Martini episcopi, anno Domini MCCCCVIII.

---

31. *Raban bischof zu Speyer belehnt den pfalzgrafen Stephan herzog von Bayern mit Creuznach. Heidelberg,* 1408 *nov.* 12.

Wir Raban, bischoff zu Spire, cantzler etc. bekennen vnd tun kunt offenbar mit diesem brieffe allen den, die in sehent oder horent lesen. Als Cruczenach burg vnd stat mit allen rechten vnd zugehorungen von vns vnd vnserm stiefft zu Spire zu lehen ruret, als sie auch der edel graff Walrabe von Spanheim selige vnd sine altfordern von vnsern vorfaren bischoven zu Spire fur zyten zu lehen entpfangen vnd getragen hant vnd aber der edel graff Symond von Spanheim des obgenannten graffen Walrabe son, die vorgenannt lehen von vns als ein bischoff zu Spire nit entpfangen hat, wie wol wir das an in gefordert, ersucht vnd darumb gebetten hant, darvmb sie auch vns vnd vnserm stiefft verfallen vnd ledig worden sint. Des haben wir dieselbe lehen mit namen Cruczenach burg vnd statt mit allen zugehorungen, nichts vssgenommen, fur verfallen, als sie vns dann verfallen vnd ledig worden sint, dem hochgebornen fursten,

Digitized by Google

herrn Stephan pfalzgrave by Rine vnd hertzogen in Beiern, vnsers gnedigen herren des Romischen konigs son, vnserm lieben herrn, vmb sunderliche liebe willen, die wir zu vnserm lieben gnedigen herrn dem Romischen konige, sinen vatter, ime vnd siner herschafft haben, zu rechten lehen verlihen vnd verlihen im die auch in krafft diess briefs, was wir ime von rechts wegen, das von vnd der obgenannt vnser stieffl daran verlihen mogen vnd er hat vns auch gewonlich huldunge darvber getan, als solich lehen recht vnd gewonheit ist. Vnd ob das were, das yemand welcher der were den vorgenannt hertzog Stephan an den obgenannt lehen hernach males vnderstunde zu weren oder intrag daran zu machen, so versprechen vnd gereden wir im in krafft diess briefs, was wir vnd vnser stieffs brieve vnd vrkunde von derselben lehen vorgenannt haben, das wir vnd vnsere nachkommen bischove zu Spire im die alle als dicke im die dann zu hulffe vnd staden kommen mochten, zu tagen furen vnd lihen sollen vnd wollen, sich damit zu behelffen vnd das vorgenannt lehen zu behalten als dicke sich das dann geburen wirdet ane alle geverde. Vnd des alles zu vrkunde vnd vesten gezugniss, so haben wir im diesen brieff geben versiegelt mit vnserm grossen anhangenden ingesiegel. Datum Heidelberg feria secunda post beati Martini episcopi, anno Domini MCCCC octavo.

---

32. *Ruprecht könig überlässt dem bischofe Raban zu Speyer die juden zu Landau. Heidelberg.* 1410 *jan.* 11.

Wir Ruprecht von Gots gnaden Romischer kunig zu allen zyten merer des richs, bekennen vnd dun kunt offenbare mit diesem brieve, allen den die yn sehent oder horent lesen, daz wir haben angesehen manigfeltige getruwe vnd dankneme dinste, die der erwirdige Raban, bischoffe zu Spire, vnser lieber furste, cantzler vnd getruwer vns vnd dem heligen riche yetzunt in das zehende jare mit sin selbes libe ettwe dicke hienyn geyn Lamparthan vnd auch zu vnsern heiligen vatter den babist geyn Rome zu ryten vnd susst hieuss in dutschen landen allezyt williglichen, getruwelichen vnd nutzlichen bewiset vnd getan hat vnd off daz wir yne vnd sinen stifft, derselben siner dienste etlicher masse ergetzen vnd yen auch vns vnd dem riche hienfur zu dinen deste williger vnd bereiter haben mogen: so haben wir

Digitized by Google

yme vnd sinen nachkommen bischoffe vnd dem stifft von Spire von besundern gnaden vnsere vnd des richs juden zu Landauwe, die dan zu einer iglichen zyt daselbs huselichen setzend vnd wonende sint, gegeben mit allen nutzen die sie davon haben mogent, vssgenommen des gulden opferpfennynges, den sollent die vorgenannt juden vns vnd vnsern nachkommen an dem riche Romischen keisern vnd kunigen jerlichen reichen vnd entworten alsdann von alter herkommen ist. Wir geben auch dem vorgenannten Raban vnd sinen nachkommen bischoffen zu Spire volle gewalt vnd gantz macht, vor vns vnd vnsere nachkommen inne krafft diess briefs, daz sie die obgenannten juden zu Landauwe vmbe ire bossheit vnd vbeltadt mogent straffen an libe vnd an gudt, wie sie dan duncket, daz sie zu eyner yglichen zyt verschulden vnd daz sie auch dieselben juden sust schetzen mogen vmbe gelt, wie vnd wann sie wollent, glicherwise als wir oder vnsere nachkommen an dem riche selber tun mochten, vnd sollent auch vns, vnsern nachkommen noch susst yemand anders darumbe nit antwurten oder deheinerley darumbe schuldig noch pflichtig sin yn deheyn wise. Darzu haben wir auch dem vorgenannten Raban vnd sinen nachkommen, bischoven zu Spire, die gnade getan vnd fryheit gegeben vnd wollen, als etewiel burgmanne zu Landauwe ire burglehen vff den juden daselbst bewiset sint, daz die obgenannten Raban vnd sin nachkommen bischove zu Spire denselben burgmannen, die also vff den juden verwiset sint jerlichen nit me pflichtig sin sollent zu geben, dan alsvil dieselbe juden eyns jyglichen jars vmbe yeren sesse vnd burggrecht daselbs gebent vnd antwurtent ane geverde, dasselbe gelt auch eynes iglichen jars vnder die vorgenannten burgmannen nach marckzale geteilt sol werden ane geverde. Vnd gebieten herumbe allen vnd iglichen fursten, geistlichen vnd werntlichen, graven, friben herren, dienstluten, rittern, knechten, gemeinschefften, der stette, merckte vnd dorffere vnd sust allen andern vnsern vnd des heiligen richs vndertanen vnd getruwen, vestiglichen vnd ernstlichen in crafft diess briefs, daz sie die obgenannten Raban bischoff, sine nachkommen bischove vnd den stifft zu Spire an den vorgenannten vnsern gnaden vnd friheiten nit hindern noch yrren, sunder sie daby geruglich verliben lassen sollen vnd auch handhaben, schutzen vnd schirmen, als lieb yen sy vnser vnd des riches swere vngnade zu

Digitized by Google

vermiden vnd dazu eyn pene zwyentzig marcke lotiges goldes, die eyn iglicher, der freventlichen darwidder dette alss dicke das geschehe verfallen sin solle, dieselbe pene halp yn vnser vnd des richs camer, vnd daz ander halpteile, den obgenannten Raban vnd sinen nachkommen bischoven zu Spire an allen abgang gefallen soll. Vrkunde diess briefs versiegelt mit vnser kuniglicher majestadt ingesiegel. Geben zu Heidelberg nach Cristi geburte in dem vierzehen hundersten vnd zehenden jare des nechsten samsstags nach dem zwolften tage den man zu latin nennet epiphania Domini, vnsers richs in dem zehenden jare. Ad mandatum domini regis, Johannes Wynheimer.

---

33. *Ruprecht könig schlägt zu den dem hochstifte Speyer gemachten pfandschaften noch eine weitere summe. Heidelberg,* 1410 *jan.* 11.

Wir Ruprecht von Gots gnaden Romischer kunig zu allen zyten merer des richs, bekennen vnd tun kunt offenbare — wie im vorhergehenden briefe — vnd bereiter haben mogen: so haben wir yme vnd sinen nachkommen bischoven vnd dem stiffte zu Spire off Landauwe die stadt mit yerer angehorunge vnd andere stette, dorffere, vogthy vnd guter, wie die dan genannt sint, die yen vormals von vnsern vorfarn an dem riche Romischen keisern oder kunigen verpfendet vnd ingeben worden sint, fur vns vnd vnsere nachkommen an dem riche zweyntzig thusend gulden geslagen vnd slahen die auch daruff inne crafft diess brieves vnd Romischer kuniglicher machte vollenkomenheide. Vnd wollen auch, wann vnd zu welicher zyt wir oder vnsere nachkommen die vorgenannt pfantschafft losen vnd die widder zu dem riche bringen wollen, das wir alsdan dem obgenannten Raban oder sinen nachkommen, bischoven vnd dem stiffte zu Spire die vorgenannten zweyentzig thusent gulden mit der andern summe die yem von vnsern vorfaren an dem riche, vor daruff verschriben ist, nach vsswisunge der briefe daruber, auch bezahlen sollen. Vrkunde diess briefls versiegelt mit vnserm kuniglicher majestadt ingesiegel. Geben zu Heidelberg nach Cristi gepurte in dem vierzehn hundersten vnd zehenden jare des nechesten samsstages nach dem zwolften tage den man zu latin nennet epiphania Domini, vnsers riches in dem zehenden jare.

Digitized by Google

34. *Das domcapitel zu Speyer trifft fürsorge für die aufstellung und besoldung eines dompredigers. Speyer,* 1410 *jan.* 20.

Cum pridem inter reverendum in Christo patrem et dominum, dominum Rabanum episcopum Spirensem, regalis aulae cancellarium, ex una et honorabiles viros dominos, magistrum Nicolaum Burgman, decanum et capitulum ecclesiae Spirensis parte ex altera, super electione seu nominatione ad canonicatus vel collatione praebendarum in ipsa ecclesia suborta fuisset verborum altricatio, utique, ut infrascripta demonstrant, salutare dicto domino episcopo jus commune et etiam ejusdem juris usum et observantiam a nonnullis praedecessorum suorum in episcopatu praedicto pro se allegante, ipsis autem dominis, decano et capitulo praescriptionem in praemissis in contrarium praetendentibus: tandem sancto Spiritu reformatore universae pacis hincinde inspirati et inflati, in hoc unanimiter concordarunt, utiliter considerantes, quomodo inter caetera, quae ad decorem domus Domini et salutem spectant populi christiani, papulum verbi Dei permaxime Christi fidelibus dinoscitur opportunum, quia sicut corpus naturali, sic anima spirituali cibo nutritur, eo quod non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod egreditur ex ore Dei. Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo, in die sanctorum Fabiani et Sebastiani, martyrum, ad subscripta capitulariter congregati, attendentes etiam, quod hactenus in ecclesia Spirensi verbi Dei seminatores, saltem scientiis et moribus quoad hoc sufficienter eruditi, rarissime inveniebantur, quodque ad ipsam ecclesiam multus habetur per Dei gratiam concursus undique populorum, ad honorem omnipotentis Dei et beatissimae virginis Mariae, matris ejusdem Domini et salvatoris nostri, dictae ecclesiae patronae ac omnium sanctorum, quorum copiose et decenter in dicta ecclesia reliquiae reconduntur, nec non ad exaltationem fidei orthodoxae ac pro communi utilitate et salute cleri et populi civitatis et dioecesis Spirensis et cunctorum fidelium, pie et unanimiter statuerunt atque statuendo in modum infrascriptum concorditer ordinarunt, videlicet quod praebenda canonicalis in ecclesia Spirensi, si quae ad praesens vacat, vel proxime vacatura, conferri et assignari debebit per dominum Spirensem uni magistro vel licentiato in theologia, si talis commode haberi possit, alioquin uni valenti baccalaureo in eadem facultate, qui post annum gratiae canonici jam defuncti vel proxime morituri sine ulteriore exspecta-

Digitized by Google

tione et redemptione ac solutione anni episcopalis omnes fructus ejusdem praebendae percipiet et levabit, videlicet corpus praebendae, praesentias chori et computales. Qui quidem magister, licentiatus vel baccalaureus, ut liberius studio suo et officio praedicationis vacare possit, capitulum non intrabit, nec actibus capitularibus se intromittet, nisi ad hoc vocatus per capitulum pro consilio dando, neque percipiet partem in officiis temporalibus cum canonicis, neque etiam in aliis, quae duntaxat ad canonicos capitulares pertinere dignoscuntur. Praestabitque idem theologus solitum juramentum canonicorum non capitularium et continuam personalem faciet residentiam ecclesiam apud eandem. Adstrictus quoque sit ad sermocionandum in dicta ecclesia Spirensi populo in vulgari per circulum anni diebus, videlicet dominicis et festivis ac aliis diebus, quibus est communiter consuetum praedicari, praesertim in adventu et in quadragesima ad minus duobus diebus in qualibet septimana, si saltem propter concursum populi hoc videbitur expedire, nisi legitime fuerit impeditus et requisitus per episcopum aut capitulum, faciat aliquem sermonem ad clerum in latino. Iste etiam theologus propter honorem ecclesiae et ad officii praedicationis exaltationem cum almutia canonicali incedat ac stallum habebit in choro cum canonicis, chorumque frequentabit non occupatus studio pro praedicatione absque dolo et fraude. Leget quoque missam, dum ad hoc devotio sua ipsum incitaverit. Ut autem sibi ultra praemissa in temporalibus provideatur, quod eo melius congruum et decentem statum tenere possit, assignari debebunt ei singulis annis ad hanc praebendam quadraginta floreni, quorum medietatem dabit dominus episcopus, aliam vero medietatem dabit capitulum per quinque annos sibi invicem succedentes a tempore admissionis ipsius theologi, qui primo assumetur et non ultra, quibus transactis dominus episcopus dictam summam florenorum solus dabit tam diu et quousque aliqua ecclesia ad hoc officium praedicationis et praebendam ei annexam incorporetur, a qua ecclesia idem praedicator ultra vicarium perpetuum ejusdem ecclesiae dictam summam quadraginta florenorum percipere possit et habere et incorporatione sic obtenta, pro qua etiam obtinenda pariter et pro confirmatione hujus statuti a sede apostolica fienda episcopus et capitulum, quam cito poterunt, laborabunt, eidem theologo ammodo non assignabitur summa quadraginta florenorum ante-

Digitized by Google

dicta. Item etiam theologus in sui admissione jurabit ultra solitum juramentum officium praedicationis hujusmodi juxta tenorem hujus statuti fideliter exercere et adimplere utilitatemque et commodum dictae ecclesiae pro suo posse et nosse promovere, nec non domino episcopo, decano et capitulo, sicut alius canonicus obedire, fraude et dolo penitus circumscriptis. Dicto vero theologo, qui primo ad hoc officium assumetur, defuncto vel alias praebenda sua vacante, alius postea ad hoc per episcopum, qui pro tempore fuerit, assumptus et capitulo praesentatus, ad statim, hoc est sine exspectatione etiam anni gratiae et absque redemptione ac solutione anni episcopalis percipiet et levabit fructus praebendae suae ex integro et in toto, ut supra specificatum est, et hoc ex tunc sic in perpetuum servabitur circa alios ei in eadem praebenda succedentes. Debebit etiam capitulum hunc theologum sibi per episcopum, ut praefertur, praesentatum recipere et admittere ad hoc praedicationis officium sine difficultate, nisi in contrarium proponerent atque alligarent causas rationabiles et veras, propter quas ille praesentatus foret ecclesiae aut hujusmodi officio inutilis, nam ex tunc episcopus alium praesentare debebit utiliorem absque fraude. In casu vero, quo memoratus theologus aliqua infirmitate inevitabili aut longo tempore duratura vel senectute praepeditus per se praedicare non posset, ex tunc, quantum in eo erit, procurabit suis sumptibus per alium idoneum saecularem et ad praedicationis officium sufficientem, in quantum poterit reperiri, alias per religiosum loco sui hujusmodi sermones fieri, sustentatione idonea sibi salva. Ubi autem dictus theologus officium praedicationis sibi commissum fideliter, ut praefertur, non exerceret, sic, quod sibi posset in hoc culpa aut manifesta negligentia imputari, ex tunc ipse debet et potest per decanum, qui pro tempore fuerit, propterea per subtractionem fructuum praebendae suae corrigi et puniri, qui quidem fructus, sic subtracti, fabricae ecclesiae cedere debebunt. Et quia praefati domini, decanus et capitulum praenominato domino episcopo suo tam volentibus animis condescenderant, quodque idem dominus episcopus et sui successores in perpetuum eandem praebendam canonicalem soli conferre habeant et debebunt pro theologo et ad officium praedicationis, ut praefertur, ideoque ipse dominus Rabanus episcopus pro se et suis successoribus sponte et libere resignavit et renuntiavit juri suo

Digitized by Google

praedicto, scilicet quod sibi et suis successoribus auctoritate ordinaria in ordinationibus seu nominationibus factis vel faciendis, per capitulum fieri consuetis competere praetendebat et circa illam competebat, ut sic beneficentia cum beneficentia compensetur, nec intromittet se de caetero dictus dominus episcopus vel sui successores auctoritate ordinaria de ordinatione seu nominatione praedicta, nisi rogatus et requisitus per capitulum, ut dictam ordinationem seu nominationem auctorizet, et in quantum in eo sit, ratificet et confirmet, ut majoris roboris et firmitatis in curia Romana et etiam alibi, ubi necesse fuerit, censeatur. In quorum evidens testimonium et ut praemissa rata permaneant et firma et in posterum propter diuturnitatem temporis a memoria hominum non recedant, praesentes conscribi fecimus et sigillorum nostrorum appensione legitime communiri.

---

35. *Raban bischof zu Speyer belehnt den pfalzgrafen Otto herzog von Bayern mit Wersau und zugehörde. Heidelberg,* 1411 *oct.* 1.

Wir Raban von Gots gnaden bischoff zu Spire, bekennen vnd tun kunt offenbar mit diesem briefe allen den, die yn sehent oder horent lesen, das wir dem hochgebornen furste vnd herren, herrn Otten pfalzgraffen by Rine vnd herzogen in Beiern, vnserm lieben herren Welrsauwe die burg mit zwinge vnd mit banne, mit luten vnd mit guten dartzu gehorende, zu rechten lehen verliehen haben, als die auch von vns vnd vnserm stiefft zu Spire zu lehen rurent vnd gent vnd sin altern die von vns vnd vnsern vorfaren bischoven zu Spire entpfangen vnd getragen hant. So hat derselbe vnser lieber herre hertzog Otte vns gewonliche huldunge daruber getan vns vnd vnserm stifft zu Spire zu tun als solicher lehen recht ist ane geverde. Vrkunde diss briefs versiegelt mit vnserm anhangenden ingessigel. Datum Heidelberg feria quinta proxima post sancti Michaelis archangeli, anno Domini MCCCCXI.

---

36. *Raban bischof zu Speyer erklärt drei tausend gulden zur söhnung von den Speyerern erhalten zu haben. Heidelberg,* 1411 *dec.* 27.

Wir Raban von Gots gnaden bischoff zu Spire, bekennen vnd tun kunt offenbar mit diesem briefle, das vns die ersa-

Digitized by Google

men wisen burgermeister vnd rat vnd burger der stat zu Spire, vnsere guten frunde vnd getruwen, soliche dru tusent gulden, die sie vns von solicher fruntlicher vereinunge wegen, als der durchluchtige hochgeborne furste, herre Ludwig pfaltzgrave by Ryne, des heiligen Romischen richs ertzdruchsess vnd herzog in Beyern, vnsser lieber herre zwuschen vns vnd ine gemacht hat, schuldig worden waren, ietzund bereidt vnd miteinander bezalt hant gantz vnd gar. Vnd wir sagen auch die obgenannte burgermeister, rade vnd burger, ire erben vnd nachkommen burger zu Spire der vorgenannten drier tusend gulden gentzlichen qwidt, ledig vnd loss. Vnd des zu vrkunde vnd vestem gezugniss, so haben wir ine diesen brieff geben versiegelt mit vnsserm anhangenden ingessigel. Der geben ist zu Heidelberg nach Christi geburt vierzehen hundert vnd eilf jare vff sant Johanns des heiligen aposteln vnd evangelisten tag.

---

37. *Raban bischof zu Speyer ertheilt dem abte Conrad zu Schwarzach die belehnung. Speyer,* 1413 *mai* 4.

Rabanus Dei gratia episcopus Spirensis, tenore praesentium notum facimus universis, quod venierit ad nos venerabilis ac religiosus vir, Conradus abbas monasterii in Schwarzach ordinis sancti Benedicti, Argentinensis dioecesis, nobis humiliter supplicavit, ut cum monasterium suum praedictum jura, jurisdictiones, silvas, nemora et prata ac alia diversa bona nobis sub juramento designanda a nobis et ecclesia nostra in feudum habere demonstratur, de quibus abbas, qui pro tempore fuerit, postquam in dicto monasterio suo fuerit confirmatus, nomine monasterii sui praedicti ab episcopo Spirensi, qui etiam pro tempore fuerit, feodaliter consuevit investiri, quatenus ipsum de eisdem bonis more solito investire favorabiliter dignaremur. Nos igitur precibus ejusdem abbatis tanquam rationabilibus annuentes ipsum de bonis praefatis, sicut et prout potuimus et debuimus, investivimus, infeodavimus, investimus et praesentibus infeodamus, praestito nobis per eum homagio seu fidelitatis solito juramento. In cujus rei testimonium sigillum nostrum praesentibus jussimus appendendum. Datum Spirae anno Domini MCCCCXIII. feria quinta post diem inventionis crucis.

Digitized by Google

38. *Raban bischof zu Speyer begabt den grafen Bernhard von Solms mit hochstiftlichen lehen. Boppard,* 1413 *mai* 24.

Wir Raban von Gots gnaden bischoff zu Spire, bekennen offentlich mit diesem briefe, daz der edel herr, Bernhart grave zu Sulms, vnser lieber getruwer an vns gesinnen vnd vns gebetten hat, daz wir im lihen wollen soliche lehen vnd guter, als sin altfordern von vnsern vorfaren vnd von vnserm stiefft von Spire zu lehen gehabt vnd getragen habent, mit namen diese nachgeschrieben kirchensetze vnd zehende. Zu erstem den kirchensatz zu Altinkirchen; den kirchensatz aller kirchen die da gehorent zu der egenannt kirche, der eilf sint an der zal. Den zehenden gross vnd clein des dorffs Thalheim by Wetzflav in Trirer bistum gelegen. Den zehenden zu Erde, den zehenden zu Aldenstedte, den zehenden zu Frankenbach, den zehenden zu Muderspach, den zehenden des dorffs zu Arde, den zehenden zu Aldendorff, den zehenden zu Gunterode, den zehenden des dorfis zu Weidebach, den zehenden zu Willerspach. Diess sint die guter, die von den hoffherren von Amelburg etwann verfallen sint an den stiefft zu Spire vnd der vorgenannt grave Bernhart damit von vns vnd vnserm stiefft belehent ist, mit namen: das achte teil des zehenden des dorffs Muderspach. Das achte teil des zehenden zu Arde. Das achte teil des zehenden zu Aldendorff. Das vnde teil des zehenden zu Lempe. Das achte teil dez zehenden zu Gunterode. Item diese nachgeschrieben zehenden mit namen zu Erde, zu Aldenstetten, zu Aldendorff, zu Muderspach, zu Arde, zu Murlebach, zu Gunterode, zu Endebach, zu Willerspach, zu Fromulderode, zu Weytdorff, ein viertel. Diese abgeschrieben lehen vnd guter haben wir dem egenannten graff Bernhart gelihen vnd lihen im die auch in crafft diess briefs, was wir im von rechten daran lihen sollen, vssgenommen vns, vnsers stiffs, vnsere manne vnd eyns yglichen rechten daran. Vnd daruber hat vns der obgenannt graff Bernhart huldunge mit glubden vnd eiden getan, vnsern schaden zu warnen, getruw vnd holt zu sin vnd vns von den lehen zu tun vnd zu gewarten als ein manne sim herrn billig tun sole vnd solicher lehen recht vnd gewonheit ist ane geverde. Dez zu vrkund haben wir vnser ingessigel tun hencken an diesen brieff. Datum Boparten feria quarta post dominicam Cantate, anno Domini MCCCCXIII.

Digitized by Google

39. *Sigismund könig bestätiget dem domcapitel zu Speyer dessen freiheiten und rechte. Landa,* 1413 *nov.* 26.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, feliciter amen. Sigismundus Dei gratia Romanorum rex semper augustus, ac Hungariae, Dalmatiae, Croatiae etc. rex. Ad perpetuam rei memoriam. Inter gloriosas reipublicae curas, quibus cor nostrum quottidiana sollicitudine pro subditorum salute distrahitur, ad illud praecipue aciem mentis nostrae convertimus ac sedulum destinamus affectum, qualiter venerandas ecclesias et personas ecclesiasticas, coelesti imperatori mancipatas, obsequiis piis protegamus desideriis ac libertates eorum continuis benignitatis foveamus favoribus, nunc novas libertates et gratias largiendo, nunc pro qualitate temporum et rerum exigentia veteres innovando. Sane pro parte honorabilium decani et capituli ecclesiae Spirensis oblata celsitudini nostrae supplex petitio continebat, quatenus ipsis universa et singula privilegia, literas, libertates, gratias, emunitates, jura et indulta, quae et quas communiter vel divisim a recolendae memoriae divis Romanorum imperatoribus et regibus, antecessoribus nostris, ac ab aliis principibus aut a personis quibuscunque super quibuslibet rebus et bonis ac juribus obtinuisse noscuntur, nec non omnia et singula alia eorum bona et judicia ac universas eorum jurisdictiones, observantias, consuetudines, statuta, usus honoresque singulos ac quidquid in praesenti obtinent seu in futurum obtinebant, auctoritate Romana regia approbare, ratificare, innovare, de novo concedere, autorizare et confirmare dignaremur gratiose. Nos igitur praefatorum decani et capituli virtuosa devotionis insignia ac alia multiplicia probitatis et virtutum merita, quibus nostram celsitudinem ac ipsum sacrum Romanum imperium studuerunt hactenus et student assidue prae caeteris attenta diligentia venerari, clarae nostrae mentis oculis intuentes, ipsorum supplicationibus favorabiliter inclinati, praesertim cum hujusmodi supplicationes de fonte rationis emanent et juste petentibus non sit denegandus assensus, eisdem decano et capitulo ecclesiae Spirensis perpetuum pro nobis nostrisque successoribus Romanorum imperatoribus et regibus, universa et singula privilegia, literas, libertates, gratias, emunitates, jura et indulta, quae et quas communiter vel divisim a recolendae memoriae Romanorum imperatoribus sive regibus, praedecessoribus nostris, ac ab aliis principibus aut personis quibuscunque rite obtinuerunt,

Digitized by Google

in omnibus suis articulis, continentiis, tenoribus, sententiis, punctis et clausulis de verbo ad verbum, ut scriptae seu scripti sunt, ac si tenores eorum singuli praesentibus specifice forent inserti, ac etiamsi de his jure vel consuetudine deberet fieri mentio specialis, nec non omnia alia eorum bona, judicia, jura quaecunque, jurisdictiones, emunitates, libertates, gratias et laudabiles consuetudines, nec non usus et honores eorundem ac quidquid in praesenti possident, vel quasi ac in futurum justis et rationabilibus modis verisque titulis praestante Domino poterunt adipisci, animo deliberato, non per errorem aut improvide, sed de certa nostra scientia, sano etiam et maturo principum, praelatorum, comitum, baronum ac aliorum nostrorum et imperii sacri fidelium super eo accedente consilio, approbamus, ratificamus, innovamus, de novo concedimus et auctoritate Romana regia et de plenitudine Romanae regiae potestatis, sicut digne possumus, autorizamus et confirmamus gratiose. Et ne quispiam praefatos decanum et capitulum dictae ecclesiae Spirensis eorumque successores in suis personis, rebus, bonis et juribus aliqualiter gravare, perturbare seu molestare praesumat, auctoritate nostra regia praefata et sub poena banni imperialis firmiter inhibemus, ipsos namque et eorum successores, cum omnibus et singulis suprascriptis in nostram et imperii sacri protectionem, salva guardia in tuitionem et defensionem, benignitate solita et ex innata nobis benignitatis clementia, gratiosius assumpsimus et assumimus per praesentes, supplentes nichilominus auctoritate Romana regia omnem defectum, si quis contineretur aut repertus fuerit in praemissis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostrae approbationis, ratificationis, concessionis, auctorizationis, confirmationis, inhibitionis, assumptionis et defectus subpletionis paginam infringere aut ei ausu temerario quomodolibet contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, poenam indignationis nostrae gravissimae et centum marcarum auri purissimi, quarum medietatem imperiali aerario, residuam vero partem injuriam passorum usibus applicari statuimus, totiens quotiens contra factum fuerit, se noverit irremissibiliter incursurum, praesentium sub nostrae majestatis sigilli testimonio literarum. Datum Laudae anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo tertio decimo, vigesima sexta die novembris, regnorum nostrorum anno Hungariae etc. vigesimo septimo, Romanorum vero quarto.

Digitized by Google

40. *Raban bischof zu Speyer gestattet dem Jakob Wolfsteiner sein hochstiftliches lehen in der Offenau zu verkaufen. Speyer,* 1414 *juli* 30.

Wir Raban von Gots gnaden bischoff zu Spire, bekennen, das off diesen hutigen tag datum diess briefs fur vns kommen ist vnser lieber getruwer Jakob Wolffsteyner vnd sagt vns, wie das er sinen hoff zu Gmundorff in der Offenauwe gelegen, der von vns vnd vnserm stiefft zu Spire zu lehen ruret, zu kauff geben hette Michel Beheim, einem burger zu Nurenberg vnd hat vns gebetten vnsern willen vnd verhengniss zu demselben kauff zu gebende, do haben wir vmb bete des obgenannt Jacobs vnsern willen vnd verhengniss zu demselben kauff geben vnd geben auch den darczu geinwirticlich in crafft diss briefs, doch mit beheltniss heran vnser mannschafft. Vnd des zu vrkunde haben wir vnser ingesiegel tun hencken an diesen brieff. Datum Spirae feria secunda post beati Jacobi apostoli, anno Domini MCCCCXIIII.

---

41. *Sigismund könig bestätiget dem bischofe Raban zu Speyer des hochstiftes freiheiten, rechte und besitzungen. Cöln,* 1414 *nov.* 23.

Wir Sigismund von Gots gnaden Romischer konig zu allen zyten merer des richs etc. bekennen vnd tun kund mit diesem briefe allen den, die yen sehen oder horen lesen, daz wir haben angesehen getruwe, geneme vnd vnverdrossen dienste, die vns, vnsern vorfaren vnd dem heligen Romischen riche der erewirdige Raban bischoff zu Spier, vnser furste vnd lieber andechtiger, offt vnd dicke nutzlich vnd schinberlich getan vnd herzeuget hat, teglich tut vnd furbass tun sol vnd mag in kunfftigen zyten vnd darumbe vnd auch dem allmechtigen Gote zu lobe vnd der koniglichen jungfrauwen Marien Gottes mutter, die derselben kirchen zu Spier patrona ist, sunderlich ere, so haben wir ime, sinen nachkommen bischoffen vnd der kirchen zu Spier, alle vnd ygliche ir stette, vesten, slosse, merckte, dorffere, gerichte, zolle, sie sien vff wassern oder vff dem lande, geleite, wiltbenne, welde, wasser, vare, fischerien, herrlichkeit, mannschafft, lehenschaffte, lande, lute, cristen vnd juden, montze vnd alle andere gutere, sie sien eigen oder pfantschafft mit allen vnd iglichen yeren zugehorden, wie man die genennen mochte

Digitized by Google

inducit circa ea, per quae ecclesiarum signanter cathedralium inibique praesidentium praecipue proximorum membrorum utilitas procurari et inopia sive incommodum relevari praecaverique valeant, diligenti studio versari, illis namque, quae propterea processisse noscuntur, ut illibata persistant, cum a nobis petitur, aures et authoritatem interponimus specialem. Sua siquidem venerabilis vir, devotus in Christo nobis dilectus dominus, Joannes de Stettenberg, decanus ecclesiae nostrae Spirensis, petitione monstravit, quod quamquam ipse ad quatuordecim luminarium, in choro sanctae crucis ejusdem ecclesiae die noctuque ante divorum quam plurimorum Romanorum regum et imperatorum sepulturas ardentium, accensionem et conservationem ratione sui decanatus, nec non aliorum diversorum onerum decanatui incumbentium supportationem obligetur, fructus tamen, redditus et proventus ejusdem decanatus propter eorum diminutionem et devastationem de et ex guerrarum aliorumque casuum fortuitorum turbinibus, plerisque retroactis temporibus vigentibus causatam, ad hujusmodi onera supportanda minime se extendunt, supplicando sibi remedio per nos provideri de opportuno, nec non pro praedictorum restauratione ac hospitalitate, ad quam decanus ecclesiae nostrae prae caeteris canonicis non sine magno expensarum onere obligatur, sustentanda, pastoriam sive parochialem ecclesiam in Fischlingen minori, nostrae Spirensis dioecesis, cujus collatio vacationis tempore occurrente ad decanum saepedictae ecclesiae nostrae Spirensis pro tempore existentem pleno jure dignoscitur pertinere, decanatui praedicto et mensae ejusdem perpetuo uniri, annecti et incorporari. Nos igitur pii patris more supradicti domini Joannis decani supplicationi annuentes, matura desuper una cum venerandis viris, devotis in Christo nobis dilectis capitulo supradictae ecclesiae nostrae Spirensis deliberatione praehabita, nec non venerandi viri, devoti similiter in Christo nobis dilecti domini Udalrici de Helmstatt, decretorum doctoris, ejusdem ecclesiae praepositi ac loci sive ecclesiae in Fischlingen supradictae archidiaconi consensu, assensu pariter et voluntate expressis ad hoc accedentibus, eandem pastoriam sive ecclesiam in Fischlingen minori cum omnibus et singulis fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus et emolumentis decanatui supradicto et mensae ejusdem auctoritate nostra ordinaria perpetuo incorporandam, uniendam et annectendam duximus et incorporavimus, univi-

Digitized by Google

mus per praesentes. Et quia honorabilis in Christo nobis dilectus dominus, Joannes Utzlinger, dictae postoriae sive parochialis ecclesiae rector modernus, eidem ecclesiae ejusque regimini ac juri sibi in et ad eandem competentibus in finem et effectum hujusmodi incorporationis, unionis et annexionis consequendum in et ad manus notarii publici nostrique scribae infra manualiter descripti, per nos ad hoc deputati, sponte et libere cessit et renuntiavit ac ecclesiam eandem resignavit, nos cessionem, renuntiationem et resignationem hujusmodi ratas habentes et gratas, eadem auctoritate indulgemus et decernimus praesentium per tenorem, quod ex nunc in antea futuris temporibus liceat praelibato domino Joanni decano domino et suis in dicto decanatu successoribus, eandem ecclesiam parochialem in Fischlingen, nec non fructus, redditus, proventus et emolumenta ipsius tanquam ad se proprietario jure spectantes et spectantia, propria voluntate et hac nostra ordinaria auctoritate apprehendere, possidere, regere, recipere, sublevare, nec non pro sustentatione et restauratione praemissorum in suos ac dicti decanatus usus convertere, ita tamen, quod iidem decani pro tempore existentes ad regimen ipsius ecclesiae presbyterum habilem et idoneum pro vicario ejusdem ecclesiae instituendo, qui ecclesiae praelibatae et populo ejusdem praeesse et prodesse valeat, toties quoties eam vacare contigerit, archidiacono loci pro tempore existenti praesentent, honesta competentia sive congrua portione de ejusdem ecclesiae fructibus et proventibus, per nos moderanda et taxanda, eidem vicario primitus reservata, de qua commode sustentari, episcopalia et archidiaconalia jura persolvere, hospitalitatem tenere ac alia incumbentia onera supportare valeat, episcopalibus et archidiaconalibus juribus hujusmodi in praemissis omnibus et singulis semper salvis, quibus per praesentes nolumus in aliquod derogari. In quorum testimonium praesentes literas sigilli nostri munimine duximus roborandas. Nos vero Udalricus de Helmstatt, doctor, praepositus et archidiaconus memoratus, recognoscimus et fatemur publice per praesentes omnia et singula praemissa de nostris voluntate, consensu pariter et assensu expressis processisse ob hocque sigillum nostrae praepositurae ad reverendi in Christo patris et domini, domini Matthiae, Dei gratia episcopi Spirensis praelibati, domini nostri gratiosi, sigillum similiter appendisse. Datum Heydelberg feria

Digitized by Google

tertia post dominicam Cantate, anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo.

---

186. *Johannes abt zu Rodenkirchen bittet den grafen Johann von Nassau-Saarbrücken, ein stück wald veräussern zu dürfen.* 1467 *mai* 10.

Wolgeborn, eddeler, gnedigster, liebster juncker. Vwer gnaden sy myne innygess gebethe, myt aller schuldiger, williger gehorsamkeyt allezyt bevor bereyt. Gnedigster, liebster juncker, vwer gnaden bin ich vndertheniglich bitten jm wissen. So als ich vwer gnade in dem dicksten male gebeden hane, vmb eine gnedige verwilligunge vnd gonnen, an mynen obersten eyn erlaub zu erlangen. Dess byn ich hutbistage vwer gnade noch byttende, mir dess gonnen, gnediglich verwilligen. Want das closter durch myne furfare vnd diesse gemeyne jar verarmpt ist vnd fast buwefellig vnd druween yme nit abhulfe zukeme, forters noche, one vwers gnedige hulfe, want dass monster, dass ich vernet von holzwergk gantz von nuwe gebuwet hane vnd halp gedeckt, dass ander halp dheyle noch zu decken ist vnd ander noche buwe darin noit sint. Gnedigster, liebster junckherr, vwer gnaden han ich gesagt von eyne walde, der zu verkauffen si, one den dass cloister nit zu buwen ist, herumb wass vwer gnaden rait darin ist, one die ich nust vornemen odder dhun wille nach begere, laiss vwer gnaden mich gnediglich verstene, vff dass das cloister wullen jnn buwe vnd vffkommen moige. Gnedigster, liebster junckher, anders noche, daz ich mit vwer gnaden zu redden han, laisse ich an stene biss vff vwer gnaden zukunfft vnd bytte vwer gnaden verschrieben antwort, die mir hait zu geben. Geben vnder myn secrete vff mondag nach dem suntag Jubilate. Anno MCCCCLXVII. Johan Heyle von Odernheim, apt zu Rodenkirchen.

---

187. *Matthias bischof zu Speyer findet sich mit seinem weihbischofe Johannes wegen dessen gehaltes und dienstes ab. Udenheim.* 1467 *juni* 16.

In nomine Domini, amen. Anno a nativitate ejusdem millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo, indictione quinta decima, die vero Martis sexta decima mensis junii, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Pauli,

Digitized by Google

divina providentia papae secundi, anno tertio, coram reverendissimo in Christo patre et domino, domino Matthia, Dei gratia episcopo Spirensi, in mei notarii publici testiumque infrascriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum praesentia personaliter constitutus, reverendus pater, dominus Johannes, dicta gratia episcopus Termopolensis, ac praelibati domini episcopi Spirensis in pontificalibus vicarius generalis, non vi, dolo, metu, fraude aut aliqua alia sinistra machinatione coactus seu circumventus, sed sponte et ex ejus certa scientia animoque deliberato, ut asseruit, cuidam obligationi alias per memoratum dominum Matthiam episcopum de venerabilium ac circumspectorum virorum, dominorum decani et capituli ecclesiae suae Spirensis consensu eidem domino Johanni de annua ducentorum florenorum auri de camera pensionis singulis annis, quo adjuvetur, solvenda aliisque certis modo et forma, prout in obligationis et consensus hujusmodi literis, desuper confectis, quarum tenores idem dominus Johannes hic pro expressis haberi voluit, factae publice et expresse cedendo et renuntiando, volens eandem nullius penitus esse roboris vel momenti ac reddens eundem dominum Spirensem ejusque successores omnino liberos et quietos obligatione de praedicta, nolensque eadem obligatione aliqua occasione vel causa ullo unquam tempore uti. Promisit praelibato domino episcopo Spirensi et mihi notario publico subscripto, tanquam publicae et autenticae personae, manu sua dextra pectoralia more praelatorum tangendo, se velle, esse atque stare de et cum portione sexaginta modiorum trium specierum frugum, videlicet viginti siliginis, viginti speltae et viginti avenae ac duorum plaustrorum vini singulis annis, quoad vixerit, loco dictorum ducentorum florenorum, una cum ecclesia parochiali oppidi Bruchsall, Spirensis dioecesis, eidem per antifatum dominum Spirensem assignata et collata totaliter et integraliter contentum ac quidquid amplius minime postulare, petere et exigere. Quam quidem portionem sive pensionem sexaginta modiorum frugum ac duorum plaustrorum vini memoratus dominus Matthias episcopus ex tunc spospondit atque promisit pro se suisque successoribus singulis annis, ut supra, dicto domino Johanni in vicariatus officio praedicto perseveranti dare atque solvere. Promisit insuper simili modo idem dominus Johannes episcopus Termopolensis apud eundem dominum et episcopum et ecclesiam suam Spirensem antedictum ad et per totum tem-

Digitized by Google

pus vitae suae, se ab eodem sive eadem, sine licentia desuper petita et obtenta, minime alienando, remanere et officium vicariatus in pontificalibus antedictum fideliter pro posse et nosse rite et legitime exercere eidemque praeesse, nec non praelibato domino Matthiae episcopo et suis in ecclesia Spirensi saepedicta successoribus, canonice intrantibus, fidelis et obediens esse, jurisdictioni, correctioni et cohertioni eorundem se expresse subjiciendo. De et super quibus omnibus et singulis iidem reverendi patres domini, Matthias Spirensis et Johannes Termopolensis episcopi, hujusmodi sibi a me notario publico infrascripto unum vel plura publicum seu publica fieri demandarunt ac quilibet eorum demandavit instrumentum et instrumenta. Acta fuerunt in castro Udenheim, dictae Spirensis dioecesis, sub anno, indictione, die, mense et pontificatu, quibus supra, praesentibus ibidem venerabilibus viris, dominis Sigfrido de Venningen, cantore et canonico majoris, nec non praeposito, Conrado de Bergen, in decretis licentiato ac decano, et Heinrico Funcke, decretorum doctore, canonico sanctae Trinitatis, et Johanne Pfeffinger, similiter canonico sancti Widonis, Spirensium ecclesiarum testibus ad praemissa vocatis specialiter atque rogatis. Et ego Theodericus Rybisen de Bruchsella clericus Spirensis dioecesis, publicus apostolica et imperiali auctoritatibus notarius, qui supradictis cessioni, renuntiationi, promissioni, submissioni, assignationi omnibus aliis et singulis praemissis, dum sic, ut praemittitur, fierent et agerentur, una cum praenominatis testibus praesens interfui eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi, idcirco hoc praesens publicum instrumentum exinde confeci, scripsi, subscripsi et in hanc publicam formam redigendo signo et nomine meis solitis et consuetis signavi, in praemissorum fidem et testimonium requisitus.

---

188. *Matthias bischof zu Speyer ersucht die Landauer ihm zum burgbaue in Hanhofen frohndienste zu leisten. Heidelberg.* 1467 *aug.* 23.

Mathis von Gots gnadenn bischoff zu Spire. Vnsern grus zuvor. Ersamen, lieben getruwen. Wir haben eynen sweren buwe zu Heinhouen angefangen, in hoffnung, vnnserm stifft, vch vnd allen desselben stiffts zugewannten in gutem dienen soll vnd dadurch die vnsern mit frondinst merglichen be-

Digitized by Google

beswert vnd auch ander vnsers stifftz anstosser gemuhet, die vns dan auch zu memalen zu solichem buwe gefrennt vnd auch gefarn vnd ander stuer darzu gethann vnd vns guttwillig bewiesen habenn, bitten wir vch mit sonderm vlys, ir wollennt vns alle die jhennen by vch wagen odder kerch habent, vff einen tag farenn lassenn geyn Wyher vnder Rieppurgk dasselbst stein zu ladenn vnd vonn dannen gein Heinhofen zu furen, zu sture vnd vfigang vnnsers buws, vnd solichs tun vonn vnser bete wegen, dann weren wir des nit so notturfftigk, wir wollten vch darjnn nit muhen. Ist auch nit vnser meynung odder fursatz das vonn eynniher gerechtigkeytt wegen an vch zugesinnen, wissen woll, das das nach vwerm herkomen mit dem stifft nit sin sollt vnd haben ye das getruwen, jr werdenn vns darjnn zu willenn vnd solichs zu dissem male nit versagen, wollen wir nachmals, ob ir in der statt Landaue zu buwen vnser odder der vnsern hulff notturfftig sin wurdent, in der glych vnd merem vergelten vnd das vmb vch vnd mynen yeden besunder vns faren wirdt gneiglich erkennen vnd beschulden. Datum Heidelberg vf sonntag vor sant Bartholomeus tag, anno MCCCCLXVII.

---

189. *Matthias bischof zu Speyer verlegt das St. Germans stift bei Speyer in die dortige St. Moritzens kirche. Speyer*, 1468 *jan.* 3.

Matthias Dei et apostolicae sedis gratia episcopus Spirensis. Ad perpetuam rei memoriam. Sollicitudo regiminis pastoralis nostris humeris incumbens saluti subjectorum invigilare et eorum periculis occurrere, quodque in laudem Dei pro animarum salute instituta incrementum sumant, intendere nos invitat. Hinc est, quod nos dispendiis et incommodis ecclesiae sancti Germani extra muros nostrae civitatis Spirensis, in loco campestri situatae, obviare cupientes ac attendentes, apud ipsam ecclesiam, quam plures viri literati, ipsius ecclesiae canonici et in dignitatibus constituti, retroactis temporibus residere et inibi Deo vota sua persolvere consueverunt, qui cum ipsa ecclesia muris seu fossatis munita non existat, neque a civibus Spirensibus muniri permitti praetendatur, saepius annis retroactis propter guerrarum turbines et hostilitatum incursus invadebantur, capiebantur et saepe numero duris carceribus mancipati fuere, ut ecclesia ipsa veluti deserta habebatur et divino officio multo tempore rema-

Digitized by Google

nebat destituta, singulae quoque habitationes dictae ecclesiae ignis voragine dudum extra memoriam hominum et deinde, prout nonnulli memores existant, penitus fuerunt et denuo nunc tertio paucis effluxis annis sunt consumptae penitusque devastatae praecipue bina vice, ut recenti est memoria, quae si primum ex devotione hominum et gratia divina plurimum operante ac secundo in poenam condempnatorum restauratae fuerint, hoc tamen tempore spes modica est, quod habitationes praedictae ex ipsius ecclesiae et ejus personarum facultatibus reparari aut reparatae salvae persistere, inibique divinus cultus libere peragi, aut viri literati pro re publica, statu religionis ac justitia ministranda nobis et nostro clero plurimum necessarii ut antea ad residendum apud dictam ecclesiam haberi possint, periculis se submittentes. Matura igitur deliberatione, nec non nonnullorum divini et canonici juris peritorum consilio desuper praehabito, considerantes status ecclesiarum, prout necessitas illarum requirit, fidelium devotio exposcit et rationabiles causae rerum et temporum qualitate pensata persuadent nonnullotiens commutandos fore, quodque felicis recordationis Pius papa secundus ex certis rationabilibus causis ecclesiam et personas sancti Germani supradictas ex praemissis et aliis certis rationabilibus causis ad domum fratrum ordinis beatae Mariae de monte Carmeli in suburbio civitatis praedictae, annis paucis nunc effluxis per nonnullas suas patentes literas apostolicas, desuper emissas, transtulit effectu earundem translationis literarum certis ex causis minime subsecuto. Et si ecclesia sancti Germani cum suis sanctorum reliquiis, personis, bonis et rebus, paramentis et ornamentis, insigniis et privilegiis ad locum tutum intra muros civitatis praedictae, videlicet ad ecclesiam parochialem sancti Mauritii transferretur, ex hoc divina cottidie absque impedimento et personarum distractione debite et multo sollempnius pro Dei laude et salute populi salubrius, quam in priori loco nunc devastato, peragerentur officia, venerabilium dominorum, praepositi, decani et capituli ecclesiae nostrae Spirensis ad haec accedentibus consilio, assensu et voluntate, nec non virtute certae concordiae per providos nostros fideles, dilectos proconsules et consules ejusdem civitatis noviter initae, ecclesiam sancti Germani antedictam ac ejus personas cum omnibus et singulis collegialibus, insigniis, canonicatibus, praebendis, personatibus, administrationibus, officiis et beneficiis quarumcun-

Digitized by Google

que qualitatum, quibus ecclesia sancti Germani et personae hujusmodi utebantur et gaudebant ac utuntur et gaudent, nec non reliquiis, paramentis et ornamentis, rebus et bonis mobilibus et immobilibus, redditibus, proventibus, jure, titulo et causa quibuscunque, nec non privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, praerogativis, gratiis et antelationibus ex fundatione primaria aut alias incumbentibus, honoribus et favoribus, ad personas et ecclesiam sancti Germani hujusmodi cunctim vel divisim quomodolibet spectantibus et pertinentibus, in et ad ecclesiam parochialem sancti Mauritii praedictam transferimus, nolentes personis ipsius ecclesiae sancti Mauritii inibi beneficiatis illorumque bonis, rebus, fructibus, redditibus, proventibus, juribus et obventionibus occasione beneficiorum suorum in eadem ecclesia sancti Mauritii eis debitis in aliquo derogari aut distributionibus beneficiorum eorundem praejudicium generari, ac statuimus et ordinamus, quod deinceps ecclesia sancti Mauritii sub vocabulo sanctorum Germani et Mauritii collegiata existat, ita quod liceat dilectis in Christo nostris devotis, praeposito, decano et capitulo ecclesiae sancti Germani praedictae una cum aliis personis ejusdem ipsius ecclesiae sancti Mauritii ejusque jurium et pertinentiarum omnium corporalem, realem et actualem possessionem hac nostra auctoritate libere apprehendere, inibi habitare et perpetuo remanere, quodque ipsi praepositus, decanus et capitulum caeteraeque personae in dicta ecclesia sancti Mauritii divina peragere, inibi quoque et in illius habitationibus capitulum et omnes actus capitulares facere, gerere et exercere, licentia sive consensu cujuscunque super hiis minime requisitis, nec non omnibus et singulis praerogativis, antelationibus, libertatibus, exemptionibus, privilegiis, immunitatibus, gratiis, favoribus et honoribus, concordiis seu compactatis, praesertim inter clerum et cives Spirenses quandocunque et quomodocunque et auctoritate quacunque etiam per nos vel praedecessores nostros ac inter eos quomodolibet factis et sigillatis, quibus ipsi extra et noster clerus intra civitatem praedictam antea gaudebant et utebantur, uti et gaudere possint quomodolibet in futurum, provisoque dicta ecclesia sancti Germani non desolare, sed eidem singulis diebus cum duabus missis per honestos presbiteros celebrandis aut alias cum divino cultu pro Dei honore decenter provideatur et fiat annuatim in festo dedicationis dictae ecclesiae sancti Germani ad eandem per

Digitized by Google

personas ejusdem sollemnis processio. Item quod in dicta ecclesia sancti Mauritii singulae horae canonicae, nocturnae ac diurnae, vigiliae, commemorationes, missae defunctorum et cultus alius divinus antea in ecclesia sancti Germani persolvi consuetus a singulis personis ipsius ecclesiae sancti Mauritii decenter et reverenter peragantur et persolvantur, quodque personae hujusmodi, cum locum tutum residentiae attigerint, divino cultui et ecclesiae sancti Mauritii commoditatibus accurate intendant, neque absque rationabili causa et nostra successorumque nostrorum ac totius capituli ipsius ecclesiae voluntate et consensu alicui ex eis alibi residendi aut ab ecclesia hujusmodi diutius alienandi, ut moram alibi ducat, licentia concedatur. Item quod decanus pro tempore ordinationi chori, missarum celebrationi juxta beneficiorum institutionem et divinorum peractioni diligenter invigilet, quodque personae singulae ejusdem ecclesiae canonici aut vicarii chorum et capitula ad Dei laudem et ecclesiae commoditatem, prout quemquam concernit, frequentius visitent, crepitum et mores inordinatos seu incompositos evitent, actibus chori officiisque ipsius ecclesiae juxta illius necessitatem in spiritualibus et temporalibus providere studeant, ac singulae ordinationes per nos ante hoc pro divino cultu peragendo et statu religionis dictae ecclesiae sancti Germani observando factae, quas in suo robore persistere volumus, quatenus praesentibus non repugnent, observentur, attendat, nec ab aliquo infringi permittat, et dum necessitas exigit, pro auxilio capitulum imploret et illud de singulis, prout ecclesiae honor et utilitas suadent, acciat. Item quia nemini, quod suum est, auferre intendimus, sed potius quemquam, quantum possumus, in suo jure defendere et quae rem publicam, Dei laudem et populi salutem augent, promovere afficimur, volumus, quod jura archidiaconalia, consuetudines, privilegia, libertates et indulta, quibus praepositus Spirensis pro tempore in dicta ecclesia sancti Mauritii antea gaudebat et utebatur, non minorentur, sed salva illi et ejus archidiaconatui persistant illisque omnibus et singulis uti et gaudere possit et debeat quomodolibet in futurum, absque contradictione seu impedimento cujuscunque. Praeterea, quia pro augmento divini cultus insistimus, volumus, quod jura parochialia, observantiae, consuetudines, redditus, proventus et obventiones plebano, capellanis et populo jura parochialia et sacramenta in dicta ecclesia sancti Mauritii porrigi hactenus consueta et debita

Digitized by Google

salva et illaesa permaneant et divinus cultus in eadem ecclesia sancti Mauritii hucusque observari consuetus, deinceps non diminuatur, sed juxta morem introductum, prout honestius et convenientius fieri poterit, in suo robore persistat et peragatur et quod plebanus, capellani ac beneficiati ejusdem ecclesiae sancti Mauritii ultra onera vetera eis incumbentia minime praegraventur. Praeterea etiam volumus, quam primum tempus indulget, quod per decanum et capitulum ac plebanum dictae ecclesiae sanctorum Germani et Mauritii praedictae ordinatio fiat, qua cultus divinus utrumque, ut supra memoravimus, rite et laudabiliter absque alterutrius impedimento seu praejudicio persolvatur et praesertim, quod in summis quatuor festivitatibus, in septimana sancta ac etiam aliis anni temporibus, quo honesti cives Spirenses anniversaria pro se et suorum progenitorum memoria instituerunt, sine impedimento decenter divinorum peractio, more et forma in eadem ecclesia sancti Mauritii transactis temporibus servatis, fiat, in quo nostram auctoritatem impertimur. Item quod decanus et capitulum provideant, ne plebanus in suis oblationibus defraudetur et quod pro legendis missis suis caeterisque divinis officiis et capellanorum suorum ac praedicatione seu verbo Dei seminando horam, tempus et loca congrua ordinent et instituant. Volumus insuper, quod in omnipotentis Dei, nec non beatissimae Mariae virginis, coelorum imperatricis, ac praedictorum Germani et Mauritii sanctorumque omnium honorem et benefactorum praesentium et futurorum memoriam, festum supradictae translationis singulis annis proxima dominica post festum circumcisionis Domini, nisi festum epiphaniae ejusdem Domini in eandem caderet dominicam, ex tunc proxima die sequenti sollempniter in dicta ecclesia sanctorum Germani et Mauritii decentius, quo fieri poterit, peragatur et quod in hac translatione auctoritas sedis apostolicae, dum commode fieri valeat, pro majori roboris praesentium firmitate, imploretur ac confirmatio desuper impetretur. Hanc igitur nostram translationem et ordinationem firmam et inviolatam perpetuis futuris temporibus haberi volumus atque mandamus in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunque, nostris tamen et episcopalibus juribus et auctoritatibus in et ad ecclesias et personas antedictas in praemissis semper salvis. In quorum omnium praemissorum robur atque firmitatem praesentes nostras literas jussimus et fecimus nostri sigilli appensione communiri. Et

Digitized by Google

nos Udalricus de Helmstadt, decretorum doctor ac praepositus praefatae majoris ecclesiae Spirensis, quia praemissa omnia de nostris cousensu et voluntate expressis processere, idcirco sigillum nostrum cum reverendi in Christo patris et domini, domini Matthiae, episcopi Spirensis praelibati sigillo fecimus appendi, archidiaconalibus et aliis nostris juribus, ut praemittitur, salvis. Nos quoque decanus et capitulum ejusdem majoris ecclesiae Spirensis recognoscimus eadem omnia et singula praemissa de voluntate, consilio et assensu nostris unanimibus processisse et ob hoc sigillum capituli nostri ad ipsius domini nostri, gratiosi domini episcopi, nec non domini praepositi praefatorum sigilla praesentibus simili modo appendisse. Nos vero decanus et capitulum ecclesiae olim sancti Germani extra et nunc sanctorum Germani et Mauritii intra muros dictae civitatis praemissa omnia et singula per praelibatum dominum nostrum, gratiosum dominum episcopum Spirensem, ut praemittitur, ordinata, matura desuper deliberatione praehabita, de unanimi consensu et communi omnium nostrorum voluntate pro nobis et nostris successoribus acceptavimus et ob id eadem omnia et singula in omnibus et per omnia, prout unumquemque nostrum concernunt, inviolabiliter adimplere et observare ac observari facere et ordinare volumus. In quorum evidens testimonium sigillum capituli nostri ad sigilla praenominata similiter fecimus appendi. Datum in dicta nostra civitate die dominica, quae fuit tertia mensis januarii, anno millesimo quadringentesimo sexagesimo octavo.

---

190. *Peter von Stein generalvicar zu Speyer bestätiget die stiftung des Salve in Edesheim.* 1468 *febr.* 19.

Universis et singulis Christi fidelibus praesentibus et futuris, praesentes literas inspecturis, visuris, lecturis pariter et audituris, Petrus de Lapide legum doctor, canonicus, reverendi in Christo patris et domini, domini Matthiae episcopi Spirensis in spiritualibus vicarius generalis, ad infrascripta specialiter deputatus, aeternam in Domino salutem. Cum creatura non habeat, quod pro meritis condigne correspondeat creatori, id quod ab eodem suscepit, pura mentis devotione non immerito exhibere conatur. Hinc est, quod pro parte in Christo nobis dilectorum plebani, scabinorum et juratorum, nec non aliorum utriusque sexus Christi fidelium in Odes-

Digitized by Google

heim largitionibus collecta perpetuum annuum censum triginta solidorum denariorum, singulis annis plebano et aliis beneficiatis ibidem pro tempore existentibus debentem, in hunc finem et effectum, ut iidem plebanus et beneficiati singulis sabbathinis diebus, nec non festivitatibus gloriosae virginis Mariae et profestis ejusdem ac per tempus quadragesimale singulis noctibus per circulum anni perpetuis futuris temporibus evenientibus de sero ad laudem Dei genitricisque suae Mariae virginis antedictae, alta et sollemni voce districte et morose cum pura mentis devotione et habitu induti debito, impedimento legitimo cessante, in ecclesia parochiali ibidem omnibus insolentiis exclusis, antiphonam „Salve regina" etc. cum debito modulamine debeant decantare, cum collecta ad eandem pertinente, per plebanum vel alium presbyterum aptum adjungenda et sonora voce legenda, per juratos ecclesiae solvendum et dandum ordinassent, constituissent et deputassent, nobis exposito ob hocque pro parte eorundem humiliter supplicato, quatenus ordinationem, constitutionem et donationem aliaque praemissa ratificare, approbare et confirmare, nec non de uberioris dono gratiae pro majori populi devotione captanda indulgentias aliquas desuper concedere et impartiri dignaremur de gratia speciali. Nos igitur dictorum exponentium pium propositum considerantes eorumque supplicationibus libenter annuentes, nec non ordinationem, constitutionem et donationem omniaque et singula praemissa rata habentes et grata, illa ordinariae auctorisationis praesidio duximus corroboranda, confirmanda ac tenore praesentium corroboramus, ratificamus, approbamus, nec non ex uberioris dono gratiae omnibus et singulis vere poenitentibus ac confessis, qui tempore decantationis dictae antiphonae, ut praefertur, in dicta ecclesia praesentes fuerint, aut in psallando vel decantando opem praestiterint, de omnipotentis Domini misericordia ejusque gloriosissimae virginis matris Mariae, nec non beatorum Petri et Pauli apostolorum meritis et auctoritate confisi, quadraginta dies indulgentiarum de injunctis eis poenitentiis auctoritate ordinaria dicti domini nostri episcopi nobis commissa et qua fungimur, misericorditer in Domino relaxamus praesentibus, perpetuis futuris temporibus duraturis. In quorum testimonium sigillum nostrum praesentibus est appensum. Datum feria sexta post Julianae virginis, anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo octavo.

Digitized by Google

191. *Matthias bischof zu Speyer giebt den prinzen Friedrich und Ludwig von Bayern die burg und das dorf Asbach zu lehen. Udenheim.* 1468 *juli* 4.

Wir Mathis von Gots gnaden bischoff zu Spire, bekennen vns offentlich mit diesem briefe. Als vnser lieber getruwer, herr Wiprecht von Helmstat, ritter, herr Hansen seligen sone, von todes wegen abegangen ist vnd von vnsern vorfarn vnd stiefft Spire Asbach die burgk mit graben vnd mit dem vorhofe vnd das dorff Asbach mit gericht, eckern, wiesen, walt, weide vnd ire zugehorunge zu manlehen gehabt, entpfangen vnd getragen hat, nach lute der entpfengnisse vnd lehen briefen daruber sagende. Vnd als wir zu dem stiefft komen sin, solich lehen von dem benannten herrn Wiprecht seligen, in jars friste vnd so lange er im leben gewest, auch von sinen manlehens erben, nach sinem tode bisher von vns nit entpfangen oder erfordert worden ist, nach solicher manlehen recht vnd gewonheyt, darumb solich lehen vns vnd vnserm stiefft, als wir meynen, verfallen ist. Das wir angesehen haben manigfaltige gnade der durchluchtige, hochgeborne furst vnd herre, herr Friederich, pfaltzgrave by Rine etc., vnser gnediger, lieber herr, vns vnd vnserm stieffte bewiesen hat vnd in kunfftigen ziten tun magk auch getruwe dinste, Friederich vnd Ludwig von Beyern gebruder, desselben vnsers gnedigen herrn naturliche sone, in kunfftigen ziten tun sollen vnd mogen, vnd haben denselben Friederichen vnd Ludwigen, von sundern gnaden, solich verfallen lehen, burgk vnd dorff Asbach mit der zugehorde, wie dann das der benannt herr Wiprecht selige von vnserm stiefft zu manlehen gehabt hat, in gemeinschaft zu rechten erblehen verluhen vnd verlihen ine das in crafft diess brieffs, was wir ine von rechts wegen daran verlihen mogen, alss das sie selber Friederich vnd Ludwigk vnd alle ire libes erben, sie sin menlichs oder frauwelichs stammes, hinfur solich erblehen von vns, vnsern nachkommen vnd stiefft haben, tragen vnd entpfahen, globen, sweren vnd hulden sollen, so dicke sich das geburet, vns vnd vnserm stiefft getruwe vnd holt zu sin, vnsern schaden zu wahrnen, frommen vnd bestes zu werben vnd zu tun von solicher erblehen wegen, alles vnd yglichs ein manne sinem herrn nach recht vnd gewonheit schuldig vnd pflichtig ist, ane geverde. Vnd nachdem die benannten Friederich vnd Ludwigk noch zur zit in iren kintlichen vnd vnvogtbaren jaren sint, so haben wir

Digitized by Google

solich obgemelt erblehen vnserm lieben, getruwen Micheln Mossbach von Lyndenfels, rentmeister etc., als irem furmunder vnd treger, an ire statt verluhen, der vns auch daruber gelobt, geschworen vnd huldunge getan hat. Vnd wan die selben Friederich vnd Ludwig achtzehen jare alt werden, sollen sie solich lehen von vns oder vnsern nachkommen vnd stiefft, sie beide oder der elste von iren beiden wegen, selbs entpfahen, globen, sweren, hulden vnd tun als obgemelt. Vnd wir haben in sollicher obgerurter verlihunge vssgenommen vnser, vnsers stieffts, vnserer mannen vnd yins yglichen rechten daran, alles vngeverlich. Vnd des zu vrkunde haben wir vnser ingesiegel tun hencken an diesen brieff. Datum Udenheim an sant Ulrichs tag, anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo octavo.

---

192. *Matthias bischof zu Speyer belehnt den Michael Mossbach von Lindenfels anstatt der prinzen Friedrich und Ludwig von Bayern mit der burg und dem dorfe Asbach. Udenheim,* 1468 *juli* 5.

Wir Mathis von Gots gnaden bischoff zu Spire, bekennen offentlich mit diesem brieffe. Als vnser lieber, getruwer Michel Mossbach von Lyndenfelss, rentmeister etc., als ein furmunder vnd treger vnserer lieben, getruwen Friederichs vnd Ludwigks von Beiern gebruder, vnsers gnedigen herrn hertzog Friederichs pfaltzgraven naturlichen sone, Asprach burgk vnd dorff, mit den zugehorden zu erblehen von vns entpfangen vnd daruber gesworen, gelobt vnd huldunge gethan hat, inhalt sins brieffs, des benannten vnsers gnedigen herrn, des pfaltzgrave, rentmeister vnd sunderlich gewant ist, haben wir ime solliche willen vnd gunste gethan vnd tun sollichs in crafft diss brieffs, das in solliche obgemelt glubde, eide vnd pflicht nit bunden solle, wedder denselben vnsern gnedigen herrn, des furstenthum der Pfaltz, die sachen ime von bevelhe siner gnaden vsszurichten oder zu handeln geburen, alles vngeverlich. Des zu vrkunde haben wir ime diesen brieff vbergeben vnd ine mit vnserm anhangenden insiegeln versiegelt. Datum Udenheim vff dinstag nach sant Ulrichs tag, anno millesimo quadringentesimo sexagesimo octavo.

Digitized by Google

193. *Matthias bischof zu Speyer giebt befehl die gegen die juden erlassene verordnung zu handhaben. Udenheim,* 1468 *dec.* 22.

Matthias Dei gratia episcopus Spirensis, venerandis venerabilibusque et discretis in Christo nobis dilectis dominis, majoris caeterarumque collegiatarum ecclesiarum praepositis, decanis et capitulis, nec non prudentibus fidelibus et dilectis magistris civium et consulatui civitatis nostrae Spirensis, ac universis et singulis spiritualium sive temporalium jurisdictionem in eadem civitate Spirensi quamlibet exercentibus, caeterisque utriusque sexus Christi fidelibus inibi habitantibus, ecclesiasticis et saecularibus, praesentibus et futuris, cujuscunque praeeminentiae, status vel conditionis fuerint, aeternam in Domino salutem. Etsi ex pastoralis officii nostris humeris impositi diligentia omnium subditorum nostrorum vitia et abusiones et quae bonos dehonestant mores, emendando in melius reformare teneamur, potissimum tamen nephanda, quae in fidei orthodoxae, nec non omnipotentis Dei, Domini et redemptoris nostri Jesu Christi ejusve intemeratae genitricis, virginis Mariae offensam vel opprobrium tendere possent, maxime eorum, qui eundem Dominum inenumerabilibus tormentis et passionibus impie subdiderunt, temeritatem et contemptum, ne fiant, prohibere factaque animad versione superioritatem et auctoritatem nostras exercendo et defensando, condigne corrigere atque punire obligamur; illius namque dissimulare opprobrium, qui probra nostra omnia gloriosissima sua passione delevit, perniciosum valde censeretur. Nulli etenim dubium, quin divinam indignationem incurrant, qui, quae fidei confusionem inducunt antedictae, perpetrare indigne patiantur. Eapropter nonnullorum summorum pontificum, nec non sacrorum canonum ac imperialium institutionum generaliumque et provincialium conciliorum sanctiones et decreta, in quantum in nobis existit, innovamus, licet pridem eorundem nostraque ordinaria auctoritatibus, utriusque sexus judaeis, in dicta nostra civitate Spirensi commorantibus, quatenus unusquisque ipsorum signum certum, videlicet masculini circulum glanceae sive crocei in veste extrinseca ante pectus et feminei sexuum duas vigas blanei colorum in pepulis (peplis?), palam absque omni occultatione, adinstar consuetudinis urbis Romanae sive nonnullarum aliarum imperialium civitatum jugiter deferre, illisque et talibus vestibus, christianis insolitis, quibus ab eisdem distingui et recogosci valeant, incedere et portare curaret. Inter caetera mandaverimus

Digitized by Google

ipsisque, ne tabernas, stuffas, commessationes, conventiones vel spectacula publica christianorum visitare, neque cum eisdem edere, bibere, kartharum, alearum sive aliorum quorumcunque generum ludos, mercimonia, mercaturas vel societates exercere sive habere, neque christianorum servitiis uti, aut eisdem arte, artificio, medicina sive alias accommodando, sive quocunque alio indigno modo participare, neque aliquam synagogam absque nostra facultate et licentia erigere, aut erecta sub poena quinquaginta librarum auri utriusque juris vigore inflicta, frui, neque in eminentioribus et plus frequentari solitis, sed secretioribus locis, a Christi fidelibus minime frequendandis, ipsis a jure deputatis sive indultis commorari, neque in septimana sancta sive passionis praelibati Domini nostri Jesu Christi, aut summorum, vel gloriosissimae virginis et matris Mariae supradictae, sive aliorum praecipuorum festorum diebus in plateis vel alibi deambulare, sed domibus clausis inibi permanendo sive spaciari praesumerent aut aliquis eorundem praesumeret, inhibuerimus, quodque nos ut et tanquam ipsorum judicem ipsis ab imperiali majestate constitutum et nullum alium inferiorem nobis recognoscerent et quilibet ipsorum recognosceret, eisdem intimaverimus, in et sub poenis tam sacrorum canonum, quam legum et imperialium, provincialiumque et synodalium praedictorum sanctionibus desuper inflictis etiam arbitrariis per nos infligendis, aliasque et alia justa et rationabilia fecerimus et fieri voluerimus et ordinaverimus, prout in nostris literis, mandatis et processibus desuper decretis et emissis ac supradictis judaeis legitime insinuatis, cum competentis termini tunc futuri, nunc vero dudum effluxi, contra hujusmodi processus et mandata, si mallent dicendi, causamque sive causas rationabiles, si quas habere putarent, quare praemissa et infrascripta fieri non deberent, allegandi, eisdem et quibuscunque aliis sua forsan interesse putantibus praefixione ac sufficientis salvi conductus assecuratione et certificatione, quod sive ut sic comparere curarent, sive non. Nos nichilominus ad praemissorum omnium executionem ac alias in hujusmodi negotio ad ulteriora procederemus justitia mediante, quorum processuum et mandatorum tenores hic pro sufficienter expressis haberi volumus, plenius continebatur atque continetur, iidem tamen perfidi judaei, neque in eodem termino, neque per et usque licet diutius exspectati comparere, neque etiam a praemissis nephandis actibus, sanctiones, processus et mandata hujusmodi vilipendentes de-

Digitized by Google

sistere curarent, prout neque curant de praesenti. Nos igitur attendentes, quod parum foret inhibitiones et mandata fieri, nisi esset, qui ea executioni debitae demandaret, quodque licet judaeos ipsos, quos propria culpa perpetuae submisit servituti, pietas receptet christiana, ingrati tamen esse non deberent, ut redderent christianis pro gratia contumeliam et de familiaritate contemptum, qui tanquam misericorditer in eorundem christianorum, certis tamen modo et restrictione, admissi familiaritatem, eis illam retributionem impendunt, quam juxta vulgare proverbium, mus in pera, serpens in gremio et ignis in sinu, suis consueverunt hospitibus exhibere, idcirco eosdem judaeos reputavimus non immerito, prout eadem ratione dictamus contumaces officio nostro nobis incumbenti, quemadmodum praefertur, tenebamur satisfaciendo et in eorum contumatiam, temeritatem et perfidiam praedictorum summorum pontificum aliorumque sanctorum patrum vestigiis inhaerere, nec non sanctiones, constitutiones, inhibitiones, processus et salubria statuta supradicta, quantum in nobis foret, executioni debitae demandare cupientes, vobis omnibus et singulis supradictis, quibus praesens noster processus dirigitur, in virtute sanctae obedientiae et sub poenis infrascriptis districte praecipimus, in antedictorum perfidorum et rebellium judaeorum poenam inhibemus, ne vos vel aliquis vestrum post novem dierum praesentium in valvis ecclesiae nostrae Spirensis affixionem, publicationem sive insinuationem immediate sequentium spatium sive exitum, quorum novem dierum tres pro primo, tres pro secundo et reliquos tres dies vobis universis et singulis supradictis pro tertio et peremptorio termino admonitionem canonicam assignamus, supradictis perfidis contumacibus et rebellibus judaeis, ut et tanquam a nobis seu verius summorum pontificum canonum et institutionum praedictorum decretis, ob rebellionem et contumatiam hujusmodi bannitis et indirecte excommunicatis, tenendo, fovendo, tuendo, defendendo, domos locando aut in locatis patiendo vel permittendo, emendo, vendendo, sal, aquam, ignem vel panem ministrando, conversando, stando, fabulando aut quocunque alio humanitatis solatio communicare sive participare praesumatis, sive praesumant, tam diu ac donec et quousque supradicti perfidi judaei omnia et singula ipsis, ut praefertur, per nos mandata a contumatia et rebellione hujusmodi desistere realiter et cum effectu adimplere curaverint et absolutionis beneficium obtinere meruerint, aut vos

Digitized by Google

aliud a nobis receperitis in mandatis. Quodsi praemissa omnia et singula non adimpleritis aut contra inhibitiones et prohibitiones nostras hujusmodi seu verius summorum pontificum et sacrorum canonum praedictorum sanctiones aliquid attemptaveritis, in toto vel in parte, per vos vel submissas personas, directe vel indirecte, publice vel occulte, quovis quaesito colore, nos in vos omnes et singulos et generaliter in contradictores sive contrafactores quoslibet et rebelles ex nunc, prout ex tunc et ex tunc, prout ex nunc excommunicationis, in capitula vero, conventus et collegia in hiis forsan delinquentia, suspensionis et in eorundem delinquentium ac rebellium hujusmodi ecclesias, monasteria et capellas antedictae nostrae civitatis Spirensis, in easque et ea, ad quas vel quae hujusmodi delinquentes et rebelles forsan declinare sive introire contigerit, inderdicti sententias ferimus in hiis scriptis et etiam promulgamus. Et ne quis praesentis nostri processus ignorantiam allegare aut se ejus praetextu excusare valeat, mandamus universis parochialium et aliarum dictae nostrae civitatis ecclesiarum rectoribus, plebanis, viceplebanis et loca tenentibus eorundem in virtute sanctae obedientiae sub poena suspensionis a divinis, quatenus hujusmodi nostrum processum, quoad totalem ejus tenorem, proxima, nec non consequenter, effectualiter et in vulgari ac materna lingua singulis dominicis diebus in ecclesiis et ambonibus ipsorum publice insinuari et publicari procurent. Datum in castro nostro Udenheim, crastina beati Thomae apostoli, anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo octavo, nostro sub sigillo praesentibus appenso.

---

194. *Das domcapitel zu Worms verkauft und überweiset jenem zu Speyer den zehenten in Freimersheim sammt zugehörde.* 1469 *mai* 4.

Wir dechan vnd capittel gemeynlich des dumstiffts zu Worms. Bekennen vnd thun kunt offenbar allermenglich mit diesem brieffe. Als wir inhalt eyns brieffe mit vnsers gnedigen herren von Worms, bischofe Reinharts vnd vnsers capittels grossen anhangenden ingesiegeln versiegelt, des datum steet, der gegeben ist in dem jar, da man zalt tusent vierhundert sechzig vnd nun jar vff fritag nach dem sondag Jubilate, vnser funff teyle am zehenden zu Frymersheim mit sampt allen iren zugehorden, herlicheiten vnd rechten der

Digitized by Google

gemeynen presentze des merern stiffts zu Spire fur zwolffhundert Rynscher gulden, der wir gewert vnd bezalt sint vnd herinne quitieren, recht vnd redlich verkaufft auch zugestalt vnd yne demselben obgemelten brieff vns verpflichtet haben, solichen verkaufften zehenten fur vnd an gericht zu Frymersheim der obgemelten gemeynen presentze zu Spire vff zu geben vnd zu weren: do han wir gegeben vnd geben auch wissentlich in vnd mit crafft diess brieffs fur vns vnd alle vnsere nachkommen, stifft vnd capittel, den wirdigen vnd ersamen herren Johann von Helmstat, dumherren, herren Herman Fritag, vicarien vnsers stiffts, samentlich vnd ir iglichen in sonderheit fur folle gantze moge, macht vnd gewalt an vnser stat, in vnserm namen vnd von vnsern wegen solichen vorgemelten zehenden mit sinen rechten, was vnd wie sich von recht oder sust geburet, auch sie darine zu setzen vnd zu weren in aller masse vnd wyse, als obe wir alle oder etliche vss vns daby werent. Vnd bedorffen die obgenannten vnser machtboten oder ir eyncher herinne ferre gewalt denn vorgeschrieben steet, den geben wir yne auch vnd wollen yne den geben vnd gegeben han vollich, gentzlich vnd nach aller notdurfft, geverde, argeliste vnd intrege herinne vssgescheiden. Zu vrkunde so han wir vnsers capittels gewonlich ingesiegel gedrucht zu ende dieser schrifft, der geben ist vff donrstag nehst nach des heiligen crutzes dag, zu latin genannt inventionis, anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo nono.

---

195. *Peter von Stein generalvicar des bischofes Matthias zu Speyer erhebt Erlenbach zu einer eigenen pfarrei.* 1472.

Petrus de Lapide, legum doctor, cantor et canonicus majoris, nec non praepositus sanctorum Germani et Mauritii ecclesiarum, reverendique in Christo patris et domini, domini Matthiae in spiritualibus vicarius generalis, ad infrascripta specialiter deputatus. Ad perpetuam rei memoriam. Ex injuncti nobis officii benignitate piis supplicium votis, illis praesertim, per quae Christi fidelium praelibato domino subjectorum nedum animarum saluti, verum etiam personarum et corporum commoditati pro divinis audiendis consulitur, annuimus eaque favoribus prosequimur opportunis. Sane siquidem pro parte in Christo nobis dilectorum utriusque sexus hominum, incolarum et habitatorum villae Erlebach, Spirensis

Digitized by Google

dioecesis, nobis oblatae petitionis series continebat, quod licet ipsi per et hucusque in et ad parochialem ecclesiam villae Steinwylere, ejusdem dioecesis, ut populus baptismalis spectare et pertinere eidem subjecti dinoscuntur, eis tamen de dicta villa Erlebach per et ad certam notabilem distantiam differentem sive collatam congruis frequentando diebus, signanter hyemalibus et aliis lutosis temporibus visitare et propter viarum discrimina aliquaque pericula reddatur difficile. Cum autem in dicta villa Erlenbach capella quaedam in honore gloriosissimae virginis Mariae consecrata, inibique certum perpetuum beneficium pro presbytero ibidem residente dotatum ac ipsa capella pro parochiali ecclesia ibidem erigenda satis apta et ordinata existit, quam jam incolae et inhabitatores praedicti commodius visitare possent et exinde nonnullos census de ipsorum propriis bonis ac quaedam immobilia bona pro augmentatione reddituum dicti beneficii et sustentatione plebani contribuerunt, comparaverunt, prout et quemadmodum in Christo nobis dilecti, Johannes Cardelan scabinus et juratus ecclesiae ac dictus Josten Hans praeco dictae villae Erlebach, coram nobis personaliter constituti, in praesentia validi in Christo nobis similiter dilecti Johannis de Gemmingen, advocati in Germersheim, consentientis, fide data nomine communitatis ejusdem villae ad praetactam ecclesiam ipsorum erigendam in libris, calicibus, casulis et aliis ecclesiasticis ornamentis et luminaribus et aliis correquisitis una cum plebano ipsorum, absque damno vel praejudicio plebani matricis ecclesiae vel quorumcunque aliorum, tenere et illis providere dictamque capellam, quae alias propriam habet habitationem, augmentando sic, quod fructus, redditus et proventus ejusdem de caetero ad valorem quinquaginta unius modii siliginis, tredecim librarum et octo solidorum denariorum ac duorum cum dimidio florenorum annuae importationis et communibus annis omnibus computatis ostenditur. Eapropter exstitit nobis pro parte eorundem humiliter supplicatum, quatenus ipsos omnes et singulos eorundem successores et posteros a supradicta ecclesia in Steinwylere ejusque regimine, viribus, oneribus et subjectione absolvere et eximere, nec non antedictam capellam beatae Mariae virginis una cum hominibus hujusmodi a praetacta matrice et parochiali ecclesia separare ipsamque in propriam et distinctam parochialem ecclesiam erigere atque inibi baptisterium pro parvulis baptizandis ac cimiterium pro defunctorum corporibus

Digitized by Google

sepeliendis et alia jura parochialia, nec non capellanum sive beneficiatum in eadem capella in plebanum ejusdem more solito instituere et ordinare, se quoque eidem ac ut sic erigendae parochiali ecclesiae et plebano ejusdem, ut praefatur, instituendo et ejus curae, administrationi et regimini subjicere ac alias in et circa promissa eorundem indempnitati consulendo opportune providere dignaremur. Nos igitur Petrus doctor et vicarius memoratus dictorum incolarum, inhabitatorum pium propositum considerantes ac ipsorum commoditati, quantum in nobis foret, consulere cupientes, ob praemissas et nonnullas alias causas nobis expositas, supradictam capellam beatae Mariae virginis in Erlebach, una cum incolis, inhabitatoribus et hominibus dictae villae a supradicta matrice et parochiali ecclesia in Steinwylere, sub qua hucusque fuerunt, ut praemittitur, ejusque jurisdictione et subjectione omnimoda, auctoritate ordinaria praelibati domini nostri episcopi ejusdem tanquam amborum beneficiorum, plebaniae videlicet et capellaniae collatoris et honorabilis in Christo dilecti Melchioris Tuwerlin, moderni praetactae matricis ecclesiae in Steinwylere plebani, praehabitis consensibus, more solito separandum, segregandum, eximendum et absolvendum, nec non eandem capellam una cum ipsius beneficio sive capellania inibi, prout prius instituta, in propriam et distinctam parochialem ecclesiam erigendum incolasque, inhabitatores et homines antedictae villae Erlebach eidem sic erectae novellae ecclesiae et ejus plebani pro tempore existentis curae, administrationi et regimini subjiciendum duximus et separavimus, exemimus, absolvimus, subjecimus, prout separamus, segregamus, eximimus, absolvimus et subjicimus per praesentes, ut iidem incolae, inhabitatores et homines in divinis et aliis spiritualibus et ecclesiasticis ornamentis, ministrandis et suscipiendis atque regimen et animarum cura in et ad eandem ecclesiam in Erlebach pertineant in omnibus et per omnia, prout et quemadmodum ab antea ad saepedictam ecclesiam in Steinwylere attinebant, volentes et decernentes, quod quaelibet dictarum ecclesiarum parochialium de caetero perpetuam et distinctam sepulturam, perpetuum et distinctum baptisterium habeat, sintque distinctae et divisae ac unaquaeque in suis limitibus, plebibus et aliis jurisdictionibus contenta. Salvo tamen, quod jurati dictae novae ecclesiae per nos, ut praefertur, erectae vice et loco plebani ipsorum ultra summam supradictam, in signum aliquantulae subjectionis,

Digitized by Google

rectori sive plebano antiquae matricis sive parochialis ecclesiae in Steinwylere singulis annis irremissibiliter perpetuis futuris temporibus censum duorum florenorum Rhenensium in festo sancti Martini episcopi et confessoris effectualiter absque contradictione quacunque persolvatur, praefatamque ipsorum ecclesiam, sic, ut praefertur, institutam, absque damno et praejudicio dicti plebani et quorumcunque aliorum in Steinwylere in structuris, ornamentis et aliis praemissis una cum plebano ejusdem teneant et conservent et casu, quo census et redditus ejusdem diminui contigerit, eosdem restaurari procurent memoratusque dominus noster et ejus successores episcopi Spirenses pro tempore existentes praetactae novellae parochialis ecclesiae, quotiens eandem vacare contigerit, collationem et provisionem more solito retineant et habeant pro perpetuis futuris temporibus duraturis. Insuper supradictam ecclesiam parochialem in Erlebach, sic ut praemittitur institutam, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, discreto in Christo nobis dilecto Johanni Sutoris de Mynfelt, hactenus capellano dictae capellae, coram nobis personaliter constituto et similiter petenti, in Dei nomine more solito contulimus ipsumque per libri traditionem investivimus et contulimus ac investimus et conferimus per praesentes, curam animarum incolarum, inhabitatorum et hominum dictae villae Erlebach eidem committendo, mandantes honorabili in Christo nobis dilecto decano sedis Herxheymensis caeterisque, quorum interest, quatenus eundem Johannem in et ad supradictam parochialem ecclesiam in Erlebach ejusque corporalem, realem et actualem possessionem inducant, sibique de fructibus, redditibus, proventibus, juribus et obventionibus ipsius universis et omnibus, quorum interest vel intererit, responderi ac a subditis et parochianis antedictis reverentiam et obedientiam condignam exhiberi faciatur, adhibitis circa haec sollempnitatibus debitis et consuetis. In quorum testimonium sigillum nostrum praesentibus est appensum. Datum et actum anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo.

---

196. *Matthias bischof zu Speyer schlichtet die irrung wegen besetzung der caplancipfründe zu Mühlhofen. Speyer*, 1472 *april* 24.

Wir Mathis von Gots gnaden bischoff zu Spire, bekennen offentlich mit diesem brieffe. Als spenne vnd irrung ge-

Digitized by Google

west sint zwuschen den wurdigen vnd ersamen, vnsern lieben andechtigen dechan vnd capittel vnsers dumstifftes zu Spire an eynem vnd Hans Hambecher, schulzssen zu Bullickeim, vnd Hans Wober von Knuttelssheim des andern teils, berurende verlyhung oder lehenschaft eyner pfrunde oder capellany in der capellen zu Mulhoven by Bullickeim gelegen vnd jedes teil gemeynt hat, ime die zu verlihen zustene sollte vnd nachdem byde vorgemelten parthien vns gerechtickeit, so ir jedes vermeynten, desshalp gehabt haben, solte oder mochte vns zu herkennen geben vnd die sachen furtter zu vns gestalt, wie wir sie darum entscheiden, daz ess daby bliben vnd dem nachkommen werden solle: so entscheiden wir sie in krafft diss briefs, daz ess mit der verlihunge der gemelten pfrunden gehalten werden vnd dieselbe verlihung den benannten dechan vnd capittel zu ewigen tagen one intrag menglichs bliben vnd zustene solle, wie dan das die confirmation vnd annectation derselben pfrunden vsswisen vnd inhalten. Doch so haben wir die benannten dechan vnd capittel gebetten, die vns auch zugesagt habent, die vorgemelte capellany, so sie ledig wirdet vnd ine zu verlihen zusteet, des nechsten vnd des andern males darnach zu lyhen der benannten Hans Hambechers oder Hans Wobers sone eynem oder eynem andern irem frunde, der darzu tugelich vnd geschickt sin mag vnd fur den sie bitten werdent. Vnd wanne das also zweymale geschehen ist, so sollen die benannten dechan vnd capittel des furtter nit mehr schuldig noch verbunden sin. Des zu vrkunde haben wir dieser briefe zwene glich lutende thun machen vnd jeder parthien eynen geben. Zu Spire vff sant Jeorgen des heiligen ritters vnd merterlers tag, anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo.

---

197. *Friedrich I. kurfürst von der Pfalz eröffnet dem stadtrathe zu Neustadt, die erlaubniss gegeben zu haben, die clause bei Neustadt neu zu erbauen und zu erweitern.* *Heidelberg.* 1472 *mai* 21.

Friedrich pfalzgrave by Rin, ertztruchsess vud kurfurst etc. Vnsern gruss zuvor. Ersame, lieben getruwen. Wir han verwilligt, das die closenere by der Nuwenstat die clusen buwen vnd erwyttern mogen dorch der masse, als sie von vnsserm rentmeister vnd lieben, getruwen Michel Moss-

Digitized by Google

bach bescheiden werden vnd das solich buwe keynen schaden bringe sal; darumb so wollen darinn willigen vnd solichs gescheen lassen vnd darinn gutwillig sin, als wir vch getruwen daran thunt ir vns gut gefallen. Datum Heidelberg off donerstag nach dem heiligen pfingstage anno MCCCCLXXII.

---

198. *Der official des domprobstes zu Speyer verpflichtet die gemeinde Neuhofen, den zaun um den dortigen kirchhof zu unterhalten.* 1472 *aug.* 18.

Officialis domini praepositi ecclesiae Spirensis, recognoscimus publice per praesentes, quod suborta coram nobis inter honestos scultetum et juratos ecclesiae in Novacuria, nostri archidiaconatus, ex una et venerabiles dominos, abbatem et conventum monasterii Hemmenrode, Trevirensis dioecesis, pastores dictae parochialis ecclesiae in Novacuria, de et super restauratione et reparatione sepis per cimiterium jam dictae ecclesiae circumtendendae, materia quaestionis, iidem scultetus et jurati nomine totius communitatis ibidem proposuerunt contra et adversus dictos dominos de Hemmenrode, quod cum ipsi, ut pastores, omnes et singulos defectus et praecipue corpus praefatae ecclesiae restaurare et reformare debeant et sint astricti, prout sui antecessores jurati ecclesiae in synodo sancta et alias semper sub ipsorum juramentis diffinissent ac taliter ad eos deventum et institutum foret, petiverunt propterea eosdem dominos de Hemmenrode pastores ad reformandum et reparandum sepem praedictam cum effectu per nos cogi et compelli, cum carentia sepis hujusmodi defectus ecclesiae fore ac corpus et cimiterium ejusdem ecclesiae condependere noscatur. Ex adverso vero dominus Joannes Nollinger, procurator seu syndicus dictorum dominorum abbatis et conventus in Hemmenrode et eo nomine narrata et proposita, prout per praefatos scultetum et juratos narrabantur, inficiendum et negandum dictos dominos suos de Hemmenrode sepes hujusmodi nunquam reparasse, neque ad hoc materiam aliquam, videlicet ligna aut virgultas unquam praestitisse a tanto tempore et per tantum tempus, de cujus initio seu contrario hujusmodi memoria non existit, sed communitatem in Novacuria antedictas sepes, quotiescunque defici contigerat, restaurasse et reparasse dixit et allegavit, propterea dictos dominos de Hemmenrode

Digitized by Google

ab hujusmodi impetitione absolvi ipsosque in possessione hujusmodi manuteneri et defendi, debita cum instantia postulavit, submittendo se hincinde sententiae et declarationi per nos super praemissis ferendis. Nos tunc auditis hincinde propositis, allegatis et petitis, reperimus narrata et praeposita pro parte dictorum dominorum de Hemmenrode ex confessione sculteti et juratorum praedictorum fore vera. Quare in Dei nomine decernimus et declaramus, communitatem villae Novaecuriae esse obligatam et astrictam ad reformandum sepem per circuitum cimiterii ibidem, quandocunque opus fuerit, quam ut sic compellimus ad id faciendum per praesentes, expensas compensando. In quorum testimonium sigillum nostrum praesentibus est appensum. Datum feria tertia post festum assumptionis beatae Mariae, anno Domini MCCCCLXXII.

---

199. *Matthias bischof zu Speyer erlässt wegen der juden im hochstifte verschiedene bestimmungen. Udenheim,* 1472 *dec.* 30.

Matthias Dei gratia episcopus Spirensis, honorabilibus in Christo nobis dilectis, archipresbitero et plebano sanctae crucis nostrae majoris Spirensis, nec non universis parochialium et aliarum ecclesiarum rectoribus, plebanis, viceplebanis et loca tenentibus eorundem ac notariis et tabellionibus publicis quibuscunque per civitatem et dioecesim nostras Spirenses ubilibet constitutis, salutem in Domino et nostris hujusmodi firmiter obedire mandatis. Catholicae religionis fervor pastoralisque diligentia officii animum nostrum pulsare non desinunt, universorum nostrae dioecesis virorumque sexus et conditionis hominum, quorum animae nobis sunt commissae communi commodo et regimini, quo in spiritualibus et temporalibus tranquilla pace protecti se a noxiis, nec non perfidorum commixtionibus sive familiaritatibus judaeorum, crucis Christi inimicorum, aliarumque morbidarum omnium, quarum paucae magnum nonnullotiens inficiunt gregem abstrahendo de virtute in virtutem bonoque in melius dirigi valeant altissimo donante, diligentissimo studio super attendere atque nephanda, quae in fidei orthodoxae, nec non omnipotentis Dei et Domini nostri Jesu Christi ejusve intemeratae genitricis virginis Mariae offensam vel opprobrium tendere possent, maxime judaeorum praedictorum, qui eundem Dominum nostrum inenumerabilibus tormentis et passionibus impie subdi-

Digitized by Google

derunt, temeritatem et contemptum ne fiant prohibere factaque animadversione condignat emendatione corrigere. Ob id quoque licet retroactis temporibus diversos processus et mandata nonnullorum summorum pontificum sacrorum canonum ac imperialium institutionum generaliumque et provincialium conciliorum sanctionibus et decretis jureque fundatos et fundata desuper contra jam dictos perfidos judaeos, qui potius volunt esse coeci, quam fidei archana cognoscere, condiderimus et emiserimus, quibus inter caetera judaeis ipsis, ut signa certa palam deferendo illisque et talibus vestibus et habitibus, quibus a christianis distingui et cognosci valerent, incedendo, se ab eorundem christianorum tabernis, balneis, commessationibus, ludis, mercimoniis, mercanciis et aliis societatibus penitus et omnino abstinerent a christianorum servitiis minime uti aut eisdem arte, artificio, medicina sive alias accommodando, vel quocunque alio indigno modo participare, neque aliquam synagogam erigere, seu erecta frui, neque in eminentioribus, sed secretioribus locis, a christicolis frequentari solitis, commorari aut aliqua alia in christianae fidei offensam praesumerent aut aliquis eorum praesumeret, quodque nos, ut et tanquam judicem ipsis ab imperiali majestate constitutum et nullum alium inferiorem nobis, recognoscerent ac diversa alia districte et sub certis formidalibus poenis, sententiis et censuris mandavimus, inhibuimus et fecimus, prout in nostris inde confectis literis et processibus, eisdem patenter publicatis, latius conspicitur contineri. Quorum mandatorum et inhibitionum aliqua ex post sub certis tamen conditione et restrictione, quamquam eisdem judaeis, tunc tamen minori numero quam ad praesens, in locis nostrae dictioni subjectis constituebantur, remiserimus, ipsi tamen perfidi judaei illis minime contenti, neque residua nostra salubria inhibitiones et mandata tenere, sed illa non mediocriter parvipendendo malaque malis accumulando, in principalioribus et eminentioribus locis moram trahere inibique de die in dies multiplices domus et habitationes comparare, disponere et inhabitare, praetiosoribus, jocalibus vestibus et habitibus adinstar magnatorum personarum incedere, atque in copiosa numerositate magis et magis augmentare et catervatim confluere et quod pejus est, presbiteris et aliis christianis pertinaciter injuriari, ipsorum pecunias, res, bona, opes et facultates suis detestandis usuris et illicitis lucris exhaurire et enervare et damna illis inferre inmodesta, contractusque

Digitized by Google

usurarios, divina et humana lege exprobatos, super quibus diversis coloribus et fraudibus utuntur exquisitis, inaniter exercere praetendunt. Jactitant insuper iidem perfidi judaei se privilegiatos, ut super rebus quibuslibet, sive furto, rapina, justo vel injusto titulo aut alias undicunque acquisitis, mutuum dare possint easdemque res pignoris loco recipere et nulli de rei vendicatione, nisi per prius mutuo sive concesso soluto teneri aut obligatos esse, quodque nulli autorem, unde res impignoratas hujusmodi receperint, nominare sive revelare teneantur, contra omnem aequitatem, nec non naturae instinctum et juris dispositionem, ex quibus perversis privilegiis multi ad furta, rapinas et latrocinia committenda, cum scirent, quo res hujusmodi sine metu revelationis secure deferre poterint, efficerentur audaciores. Nulli etiam dubium, quin ipsimet judaei furta committant et talismodi res furtivas sibi impignoratores fore cum alia nominatione non habere mentiantur, in animarum eorundem perfidorum judaeorum perpetuum interitum et perniciosum exemplum christianorum plurimorum. Quae omnia siquidem, cum nedum in Dei conspectu reddantur exosa, sed in gravissimam sui nominis et majestatis gloriosissimaeque virginis Mariae, antedictae ecclesiae nostrae patronae, offensam ac fidei orthodoxae opprobrium et salutis animarum christianorum periculum cedere dignoscantur et exinde nullatenus tolleranda sint, nos perpendentes ac non immerito animadvertentes, quod quamquam judaeos ipsos, quos propria culpa perpetuae subegit servituti, christiana pietas receptet et eorum tolleret cohabitationem, ingrati tamen esse non debent, ut reddant christianis pro gratia contumeliam et beneficiis impietatem ac de familiaritate contemptum, qui tam misericorditer in nostram familiaritatem admissi, illam christicolis impendunt retributionem, quam juxta vulgare proverbium, mus in pera, serpens in gremio et ignis in sinu, suis solent hospitibus exhibere. Idcirco a nonnullis etiam magnatibus, dominis, militibus, militaribus, universitatibus incolisque civitatis nostrae Spirensis praedictae, tam ecclesiasticis, quam saecularibus et aliis multivarie propriaque nostra non minus conscientia impulsi et urgati, hujusmodi perniciosis ausibus, quantum possumus mediis et viis opportunis, ne divina in nos saeviat ultio, si fieri patimur, quae fidei confusionem inducunt, obviare poenamque nobis in eventum negligentiae animae impositam, quantum possumus et nostrae facultatis existit, evitare ac

Digitized by Google

officio nostro satisfacere cupientes, praedictorum summorum pontificum, sacrorum canonum imperialium, consiliorum et nostra ordinaria auctoritatibus vobis omnibus et singulis supradictis et signanter archipresbitero et plebanis, in virtute sanctae obedientiae ac sub poena suspensionis a divinis districte praecipiendo mandamus, quatenus universos et singulos utriusque sexus judaeos, signanter in nostra civitate Spirensi, in qua eorundem tumulosa numerositas reperitur, de dieque in dies magis augentur aut alias in dioecesi nostra ubilibet degentes sive commorantes, publice et peremptorie moneatis et requiratis et inducatis, quos nos etiam omnes et singulos in genere et in specie eorundem nomina et cognomina hic pro expressos habentes, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis, anathematis exclusionisque et expulsionis ab omni Christi fidelium communione aliisque a jure inflictis, nec non gravioribus etiam arbitrariis per nos infligendis poenis, sententiis, censuris, districtionibus et mulctis, quas eos omnes et singulos, si secus fecerint, ipso facto incurrere volumus, peremptorie et districte praecipiendo monemus et requirimus, quemadmodum etiam in quibusdam aliis nostris literis et processibus hodie datis praesentium in vulgari theotonico, ne ignorantiam aliquam praetendere possint directis, requisivimus et monuimus monerique et requiri fecimus eosdem, prout in eisdem literis plenius continetur, quatenus iidem judaei, cujuscunque sexus vel aetatis fuerint sive conditionis, ab usurarum voragine, ab utriusque testamenti pagina detestata et succisa, quae animas devorat et facultates, sicut tinea vestimentum consumit, exhaurit penitus et omnino cessent et desistant usurasque aliquas a christianae fidei professoribus occasione quorumcunque contractuum praeteritorum vel futurorum non exigant, sed sorte nuda principali sub mutui spe data et concessa contenti, usuras, quas inde sibi competere praetendunt, in toto remittant, deinceps quoque usurarum lucris non insistant, nec pecunias vel res aliquas in fraudem usurarum mutuent vel concedant aut contractus famulatos et vitiosos cum christianis pro indiscretis lucris inire vel exercere praesumant aut aliquis eorum praesumat. Et non minus omnes et singulas res, furto, rapina vel alio injusto titulo acquisitas, ipsis forsan impignoratas hactenus et in futurum impignorandas, eorundem veris dominis, si et quam primum ab eisdem requisiti fuerint, absque omni exactione et contradictione restituant ac eorundem rerum auctores et

Digitized by Google

impignoratores nominent atque revelent praedictis perversis (?) privilegiis, quae omnia tanquam nulla, iniqua, frivola et contra omnem aequitatem et jurisdictionem sompniata, sicut ipso jure nulla, cassa et irrita sunt, penitus et omnino cassamus, irritamus et annullamus nulliusque esse roboris vel momenti eosque de rei vendicatione, veluti Christi fideles homines obligantur, teneri et obligatos esse decernimus, fiec non praemissa omnia et singula se effectualiter adimpleturos infra novem dierum spatium post praesentium insinuationem eis factam immediate sequentium, quorum novem dierum tres pro primo, tres pro secundo et reliquos tres dies ipsis omnibus et singulis pro tertio et peremptorio termino ac monitione canonica omnique dilatione assignamus venerabili et fideli dilecto judici nostro sive officiali generali, cui desuper commissionem et auctoritatem praesentium tenore concedimus speciales, juramento more judaico et alias solito caveant atque promittant ac unusquisque ipsorum caveat et permittat, sive alias cautionem sufficientem faciat nosque de paritione, cautione et promissione talismodi infra tres alios dies, dictos novem dies continuo sequentes, legitime rectificent ac se omnia et singula praemissa realiter et cum effectu complesse doceant, alioquin compareant coram nobis prima die, dictos duodecim dies immediate sequenti, in castro nostro Udenheim hora prima post meridiem, ad quem quidem locum deputatum eisdem judaeis omnibus et singulis de dicta civitate nostra Spirensi eundi, ibidem standi, manendi et redeundi usque ad eandem civitatem Spirensem, liberum et salvum conductum tenore praesentium ex certa scientia impertimur, damus atque exhibemus ad videndum et audiendum, se ob non paritionem hujusmodi excommunicationis, anathematis, expulsionis et exclusionis aliasque sententias, poenas, censuras, districtiones et mulctas antedictas incidisse, per nos vel commissarium desuper a nobis deputandum in scriptis declarari vel dicendum et causam vel causas, si quas habuerint rationabiles, quare praemissa fieri minime deberent, ipsi vero ad illa non teneantur alligandum, cum certificatione, quod, nisi ut sic comparere curaverint, nos vel commissarius noster praefatus contra eosdem omnes et singulos rebelles in praemissis sive remissis ad declarationem hujusmodi et alias, prout justum fuerit, indubie procedamus sive procedat, ipsorum contumacia sive absentia in aliquo non obstante, quosque ut sic excommunicatos, anathematizatos, expulsos et

Digitized by Google

exclusos lapsis terminis praedictis publice denuntiari volumus et mandamus et generaliter dicti judaei omnia et singula per nos in primonarratis nostris literis et processibus dudum, ut praemittitur, decretis et insinuatis eisdem quomodolibet mandata in omnibus et singulis punctis et articulis, signanter super quibus nos una cum prudentibus et fidelibus dilectis magistris civium et consulatu dictae nostrae civitatis Spirensis comportati non sumus, firmiter et inconcusse observare studeant atque observent, ac unusquisque eorum desistat, promittat, caveat, certificet et observet juxta et secundum omnimodam praesentis nostri processus, nec non literarum memoratarum ipsis, ut praefertur, novissime directarum continentiam et tenorem. Et insuper inhibeatis publice et peremptorie universis et singulis potestatibus, communitatibus, magistris civium, consulibus, scultetis, judicibus, consiliariis, civibus personisque singularibus et aliis quibusvis, temporalem vel spiritualem jurisdictionem quavis auctoritate in civitate vel dioecesi praedictis obtinentibus et exercentibus, quibus nos etiam auctoritatibus et tenore praedictis sub infrascriptis sententiarum poenis districte inhibemus, ne de caetero aut usurae judaeis solvantur aut quod solutae usurae una cum rebus, furto, rapina vel alio injusto titulo, ut praefertur, acquisitis, cum repetantur, plene et libere non restituantur, autoresque et impignoratores earundem non publicentur indicare vel cognoscere seu eorundem subditis, ne repetant, inhibere quomodolibet praesumant, sed judaeos taliter usurarum contractibus insistentes, nisi ab illis resipiscant et de non amplius a christianis usuras petendo vel exigendo sufficienter, ut praemittitur, caveant et promittant, de suis certis finibus et districtibus infra tres menses post praesentium publicationem immediate sequentium ejiciant et expellant, provide tales minime admissuri aut illis ad foenus exercendum domus vel habitationes locent vel sub titulo aliquo concedant, aut a subditis suis locari vel concedi permittant, notariis vero, publicis tabellionibus et scribis consimiliter inhibeatis, quibus et nos in genere et in specie pariformiter inhibemus, ne ipsis judaeis contractus hirographos aut literas aliquas, usurarum solutionem explicite vel implicite complectentes, dictent, fabricent, signent vel conscribant aut aliquis eorum fabricet, signet vel conscribat. Caeterum cum sit indignum, ut filii liberae filiis obsequantur ancillae, sed hiis tanquam a Domino reportari, in cujus mortem nequiter com-

Digitized by Google

municarunt, sed per effectum saltem operis recognoscant servos illorum, quos Christi mors liberos et eos servos effecit, universis Christi fidelibus nostrarum civitatis et dioecesis praedictarum sub interminatione divini judicii et poenis infrascriptis interdicimus et prohibemus, ne deinceps judaeis in suis habitationum locis causa quavis commorentur vel cohabitent, neque servitia aliqua illis praestare aut proles eorum lactare vel nutrire pro mercede, quantumcunque pingui modo quovis, praesumant aut aliquis eorum praesumat. Quodsi forte potestates, communitates, magistri civium, sculteti, judices, consiliarii, notarii, tabelliones, scribae aut alii praedicti cives ac personae singulares in civitate et dioecesi nostris jurisdictionem aliquam seu villam habentes, cujuscunque status vel conditionis fuerint, praemissa omnia et singula non adimpleverint aut contra monitiones, inhibitiones et prohibitiones nostras hujusmodi, imo verius summorum pontificum, sacrorum canonum, imperialium et conciliorum praedictorum sanctiones aliquid attemptaverint in toto vel in parte, per se vel alios, directe vel indirecte, publice vel occulte, quovis quaesito colore vel ingenio, nos in eos omnes et singulos et generaliter in contradictores quoslibet et rebelles, ex tunc, prout ex nunc et ex nunc, prout ex tunc, singulariter in singulos excommunicationis ac in eorundem delinquentium civitates et loca, nec non ecclesias, monasteria et capellas, in et ad quas seu quae hujusmodi derelinquentes et rebelles forsan declinare, morari sive introire contigerit, interdicti sententias contra eosdem jure et alias latas et inflictas in scriptis declarabimus incidisse, ab absolutione vero omnium et singulorum, qui praefatas sententias aut earum aliquam incurrerint sive incurrit quoquo modo, nobis vel superiori nostro auctoritatem absolvendi habenti tantummodo reservamus. Et ne quis praesentis nostri processus ignorantiam allegare aut se ejus praetextu excusare valeat, mandamus vobis omnibus et singulis praedictis, quibus idem noster processus dirigitur et signatur plebanis, modo et forma praemissis, quatenus hujusmodi nostrum processum in majoris supradictae et aliarum ecclesiarum valvis infra missarum sollempnia affigendo ejusque copias inibi, quam ab eisdem nullus hominum poenis sub antedictis amovere praesumat, dimittendo quoad totalem ejus tenorem in vulgari et materna lingua publicare et exponere proxima dominica, nec non subsequenter singulis diebus dominicis in ambonibus et praedicationibus vestris ejus-

Digitized by Google

dem processus effectum summarie repetere et insinuare non obmittatis ac ab aliis, quantum in vobis fuerit, insinuari et publicari procuretis et unusquisque vestrum procuret. Datum in castro nostro Udenheim feria tertia post festum beati Thomae apostoli, anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo, nostro sub sigillo praesentibus appenso.

---

200. *Matthias bischof zu Speyer eignet dem prinzen Ludwig von Bayern die burg und das dorf Asbach. Udenheim.* 1474 *juli* 27.

Wir Mathis von Gots gnaden bischoff zu Spire, bekennen offentlich mit diesem brieffe, fur vns vnd alle vnsere nachkommen vnd vnsern stiefft Spire. Als der durchluchtige hochgeboren furste vnd herre, herre Friederich pfalzgrave by Rine, hertzog in Bayern, des heyligen Romischen richs ertzdruchsesse vnd churfurste, vnser gnediger lieber herre, Aspach das slosslin mit dem dorffe, wasser, walde, weiden, luten, gutern vnd andern sinen zugehorungen, in den nehsten vergangen kriegen zwuschen sinen gnaden vnd dem erwirdigen in Got vater vnd herrn, herrn Adolffen, der zit erwelter vnd bestetigter zu Meintz, gewesen sin vnd vnser vorfare bischoff Johann seligen, auch desselben kriegs vnd vnsers herrn von Meintze parthye gewesen vnd herr Wiprecht von Helmstat ritter, herr Hannsen seligen sone, vnsers vorfaren bischoff Johans anhangk gewest ist vnd in sollichen kriegsleuffen der benannt vnser gnediger herr Aspach das slosslin, das dorff daby mit luten, gutern vnd zugehorden zu sinen handen bracht hat vnd er vnd sin natuerlicher sone das bitzher ingehabt, genutzt vnd gebrucht haben vnd dasselbe slosslin vnd dorff mit sinen zugehorden von vnserm stiefft Spire zu lehen gangen sin vnd herr Wiprecht obgenannt die auch von vnserm vorfaren zu lehen entpfangen vnd gehabt hat, wiewoll er die von vns by sinem leben, auch sin dochtermann herr Gorg von Rechberg von Hoenrechberg, ritter, von siner hussfrauwen wegen, desselben herr Wiprechts seligen dochter, von vns zu lehen nit entpfangen gehabt haben in geburlicher zit, so lange wir im stiefft gewesen sin. Darumb haben wir Friederichen zu Spire vnd Worms dumherre, da er noch im leben war, vnd Ludwigen von Beyern, gebrudern, des obgenannten vnsers gnedigen herrn pfaltzgraven naturlichen sonen, sollich obge-

Digitized by Google

melt lehen, das vns vnd vnserm stiefft verfallen, zu rechtem erblehen verluhen, inhalt der lehenbrieff daruber sagende, vnd dan der benannt vnser gnediger herre pfaltzgrave vns flysslich vnd ernstlich gebeten hat, solliche lehen dem benannten Ludwigen, sinem naturlichen sone vnd sinen erben zu eigenen. Also haben wir angesehen manigfeltige gnade, derselbe vnser gnediger herre vns vnd vnserm stieffte bewiesen hat vnd zukunfftig tun magk, auch herr Jorge von Rechberg von Hoenrechberg, ritter, vnd sin hussfruwe alle ire gerechtigkeit sie gehabt oder zu haben vermeint han zu sollichem slosslin vnd des zugehorde, zu des benannten Ludwigs handen gestalt, wir auch den burgstaden sollichs slosslins vnd des zugehorde in vnsers stieffts handen nit funden han: so haben wir mit wissen vnd willen der wirdigen, vnser lieben vnd andechtigen dechant vnd capittel vnsers dumstieffts zu Spire, dem benannten vnserm gnedigen herrn pfaltzgraven zu eren vnd gefallen sollich slosslin vnd burgstaden, wie man das nennen magk, das dorff mit luten, gutern vnd allen zugehorungen, wie vnd was des dan vnserm stiefft zu lehen gangen ist, oder was sich hernach finden mochte, von vnserm stiefft zu lehen geen sollte, des sin gnade oder der benannt sin naturlicher sone in handen gehabt vnd noch hat, oder vberkommen mochte, gein Aspach gehorig gewest were, dem benannten Ludwigen vnd sin eeliche libserben, vnd obe er der nit hette, siner mutter vnd so die nit were, sinen nehsten erben von der mutter here, fur vns, vnsere nachkommen vnd stiefft von gutem fryen willen geeygnet vnd eigen ine das in vnd mit crafft diss brieffs, verzihen vns auch fur vns vnd alle vnser nachkommen vnd stiefft, aller vnd yeder gerechtigkeyt gantz vnd gare, die wir vnd vnser stiefft zu sollichem slosslin vnd burgstaden, dorff vnd zugehorungen von lehens oder eygenthums wegen gehabt han, oder gehabt han mochten, der masse, das derselbe Ludwig vnd sin erben obgemelt das slosslin, burgstaden vnd dorff Asbach mit der zugehorunge, was des von vns vnd vnserm stiefft zu lehen gerurt hat oder ruren mochte, wie vorsteht, zu ewigen tagen, als ire rechte eygen gut, als es auch sin solle, inhaben, nutzen, nyssen vnd gebruchen, versetzen, verkeuffen vnd damit tun vnd lassen sollen vnd mogen, als mit irem rechten eygen gute one intragk vnd hindernisse, vnser, vnserm nachkommen vnd stieffts vnd mengliches von vnsern wegen. Vnd

Digitized by Google

des zu vrkunde haben wir mit rechtem wissen vnser ingesiegel tun hencken an diesen brieff vnd wir dechan vnd capittel des dumstieffts zu Spire bekennen auch offentlich mit diesem brieffe, das alles vnd ygliches, so obgeschrieben steet, mit vnserm guten wissen, willen vnd verhengnisse zugangen vnd geschreen ist. Wir geben auch darzu vnsern guten gunst, willen vnd verhengnisse in vnd mit crafft diss brieffs. Vnd des zu vrkunde haben wir vnsers capittels ingesiegell zu des benannten vnsers gnedigen herrn von Spire ingesiegell gehenckt an diesen brieff. Datum Udenheim vff mitwoche nach sant Jacobs tag des heyligen zwolffbotten, anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto.

---

201. *Sixtus IV. pabst ertheilt dem bischofe Matthias zu Speyer für des hochstiftes besitzungen und rechte einen schirmbrief. Rom,* 1475 *sept.* 9.

Sixtus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis sancti Pauli Wormatiensis et sancti Thomae Argentinensis ac sancti Spiritus Heidelbergensis, Wormatiensis dioecesis ecclesiarum decanis, salutem et apostolicam benedictionem. Ad hoc nos Deus praetulit in familia domus suae, ut opportuna singulis provisionis auxilia fidelis servitutis injunctae providentia pro tempore dispensantes, eorum praesertim necessitatibus intendamus et occurramus dispendiis ipsosque ab oppressionibus relevemur, qui assumpti in partem sollicitudinis, potioris sunt dignitatis titulo insigniti. Sane venerabilis fratris nostri, Matthiae episcopi Spirensis, conquestione percepimus, quod nonnulli archiepiscopi, episcopi aliique ecclesiarum praelati et clerici ac ecclesiasticae personae, tam religiosae, quam saeculares, nec non duces, marchiones, comites, barones, nobiles, milites et laici, communia civitatum, universitates oppidorum, castrorum, villarum et aliorum locorum et aliae singulares personae civitatum et dioecesium ac aliarum partium diversarum occuparunt et occupari fecerunt castra, villas et alia loca, terras, domos, possessiones, jura et jurisdictiones, nec non fructus, census, redditus et proventus mensae episcopalis Spirensis et nonnulla alia bona mobilia et immobilia, spiritualia et temporalia ad mensam praedictam pertinentia, et ea detinent indebite occupata, seu ea detinentibus praestant auxilium, consilium vel favorem, nonnulli etiam civitatum, dioecesium et partium praedictarum, qui nomen Do-

Digitized by Google

mini in vanum recipere non formidant, eidem episcopo super praedictis castris, villis et locis aliis, terris, domibus, possessionibus, juribus et jurisdictionibus, fructibus, censibus, redditibus et proventibus eorundem et quibuscunque aliis bonis, mobilibus et immobilibus, spiritualibus et temporalibus et aliis rebus ad eandem mensam spectantibus, multiplices molestias et injurias inferebant et jacturas. Quare dictus Matthias episcopus nobis humiliter supplicavit, ut cum eidem suisque successoribus, episcopis Spirensibus pro tempore existentibus, valde reddatur difficile pro singulis querelis ad apostolicam sedem habere recursum, provídere ipsis super hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur adversus occupatores, detentores, praesumptores, molestatores et injuriatores hujusmodi illo volentes eisdem Matthiae episcopo et successoribus remedio subvenire, per quod ipsorum compescatur temeritas et aliis aditus committendi similia praecludatur, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, etiam si sint extra loca, in quibus deputati estis conservatores et judices praefatis Matthiae episcopo et successoribus efficacis defensionis praesidio assistentes, non permittatis eosdem super hiis et quibuslibet aliis bonis et juribus ad mensam praedictam spectantibus ab eisdem vel quibusvis aliis indebite molestari vel eis gravamina seu damna vel injurias irrogari, facturi dictis Matthiae et successoribus, cum ab eis vel procuratoribus suis aut eorum aliquo fueritis requisiti, de praedictis et aliis personis quibuslibet super restitutione hujusmodi castrorum, villarum, terrarum et aliorum locorum, jurisdictionum, jurium et bonorum, mobilium et immobilium, reddituumque et proventuum et aliorum quorumcunque bonorum, nec non de quibuslibet molestiis, injuriis atque damnis praesentibus et futuris, in illis videlicet, quae judicialem requirunt indaginem, summarie et de plano sine strepitu et figura judicii, in aliis vero, prout qualitas eorum exigerit, justitiae complementum occupatores seu detentores, praesumptores, molestatores et injuriatores hujusmodi, nec non contradictores quoslibet rebelles, cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis exstiterint, quandocunque et quotienscunque expedierit, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii papae octavi, prae-

Digitized by Google

decessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliquis extra suam civitatem et dioecesim, nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam, a fine suae dioecesis, ad judicium evocetur, seu ne judices et conservatores a sede deputati praedicta extra civitatem et dioecesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscunque procedere, sive alio vel aliis vires suas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine dioecesis eorum trahere praesumant, dummodo ultra duas dietas aliquis auctoritate praesentium non trahatur, seu quod de aliis, quam de manifestis injuriis et violentiis et aliis, quae judicialem requirunt indaginem, pejus in res, si secus egerint, et in id procurantes, adjectis conservatores se nullatenus intromittant, quam aliis quibuscunque constitutionibus a praedecessoribus nostris, Romanis pontificibus, tam de judicibus delegatis et conservatoribus, quam personis ultra certum numerum ad judicium non vocandis aut aliis edictis, quae nostrae possent in hac parte jurisdictioni aut potestati ejusque libero exercitio quomodolibet obviare, seu si aliquibus communiter vel divisim a praedicta sit sede indultum, quod excommunicari, suspendi vel interdici, seu extra vel ultra certa loca ad judicium evocari non possit per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulti hujusmodi et eorum pro singulorum ordinibus et nominibus propriis mentionem et qualibet alia indulgentia dictae sedis generali vel speciali, cujuscunque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam vel totaliter non justitiam vestrae jurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri et de qua cujusque toto tenore de verbo ad verbum in nostris literis habenda sit mentio specialis. Caeterum volumus et apostolica auctoritate decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium incohatum, quamvis idem incohans nullo fuerit impedimento canonico praepeditus, quodque a dato praesentium sit vobis vel unicuique vestrum in praemissis omnibus et eorum singulis coeptis et non coeptis praesentibus et futuris perpetuata potestas et jurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possitis in praedictis omnibus coeptis et non coeptis, praesentibus et futuris et pro praedictis procedere, ac si praedicta omnia et singula coram vobis coepta fuissent et jurisdictio vestra et cujuslibet vestrum in praedictis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitimum extitisset, constitutione praedicta, super conservatoribus

Digitized by Google

et alia qualibet in contrarium edita, non obstante, praesentibus perpetuo valituris. Datum Romae apud sanctum Petrum, anno incarnationis dominicae millesimo quadringentesimo septuagesimo quinto, quinto idus septembris, pontificatus nostri anno quinto.

---

202. *Matthias bischof zu Speyer verlegt eine messe aus der St. Martins capelle des Speyerer domes in die neue Marien capelle daselbst. Speyer.* 1476 *febr.* 10.

Matthias Dei gratia episcopus Spirensis. Ad perpetuam rei memoriam. Cum creatura non habeat, quod pro meritis condigne correspondeat creatori, id quod ab eodem suscepit pura mentis devotione, non immerito coexhibere obligatur et cum nonnunquam ea, quae justa ordinatione pie ordinata sunt, si ad abusum seu noxam versa fuerint, expedit superioris consideratione in melius rerum et temporum qualitatibus pensatis immutari. Eapropter in et ob omnipotentis Dei, redemptoris nostri, suaeque piissimae ac immaculatae virginis et matris Mariae, polorum imperatricis, inclitae patronae nostrae ac totius coelestis agminis sanctorum, gloriam et honorem, pro divini cultus augmento et commodidate nostraque et omnium Christi fidelium animarum salute, capellam sub vocabulo, titulo et invocatione memoratae gloriosissimae virginis Mariae ac omnium festivitatum ejusdem virginis, genitricis salvatoris nostri, ad latus majoris et cathedralis ecclesiae nostrae Spirensis, auxiliante Domino, quantum melius potuimus, propriis nostris expensis et pro sepultura nostra erigi construique ordinavimus, fecimus et procuravimus. Cum autem dudum bonae memoriae Gerlacus, quondam dictae ecclesiae nostrae canonicus et cantor, non sine rationabilibus de causis, animae suae salutem haut dubium procurare volens, missam unam de praelibata gloriosissima virgine Maria singulis diebus per quatuor presbyteros, perpetuos vicarios praefatae nostrae ecclesiae, Martinenses nuncupatos, sollempniter aliisque sub certis modo et forma decantandam, more solito instituerit, prout in literis confirmationis a felicis memoriae Conrado episcopo, praedecessore nostro, desuper emanatis, quarum tenor inferius est insertus, latius continetur, quae licet anterioribus temporibus aliis in locis ac novissime in capella sancti Martini dictae ecclesiae nostrae Spirensis a presbyteris antedictis extiterit decantata, eadem tamen capella pro utriusque sexus hominibus ad hujusmodi

Digitized by Google

missam audiendam in copiosa per Dei gratiam multitudine confluentium minus stricta ac propter humores ac aeris aliquantulum carentiam aliisque pluribus respectibus fuerit et sit minus apta, ob hocque tam presbyterorum Martinensium, quam aliorum utriusque sexus hominum praedictorum nominibus nobis humiliter supplicato, quatenus praefatam missam de dicta capella sancti Martini in et ad novam capellam praetactam, per nos, ut praefertur, erectam, in qua commodius decantari et audiri posset, transferendo celebrari et decantari, ordinare et instituere aliisque tam presbyteris cantantibus, quam hominibus audientibus hujusmodi in et supra praemissis, ut sit, opportune providere dignaremur. Nos igitur Matthias episcopus memoratus, qui alias ex pastoralis officii nostri benignitate piis supplicium votis, illis praesertim, per quae eorundem commoditati pro divinis audiendis consulitur, libenter annuimus eaque favoribus prosequimur opportunis, ipsorum supplicationi favorabiliter annuentes, mature desuper una cum venerandis viris devotisque in Christo nobis dilectis, decano et capitulo ecclesiae nostrae praedictae, deliberatione atque eorundem et signanter venerabilis in Christo dilecti Petri de Lapide, legum doctoris, ejusdem ecclesiae cantoris, nec non beneficiorum praetactorum presbyterorum Martinensium collatoris, unanimi et expresso consensu praehabitis, supradictam missam prius et hucusque in saepedicta capella sancti Martini, ut praemittitur, celebratam, de eadem in et ad praelibatam capellam novam more solito transferendo, eam ex nunc in antea perpetuis futuris temporibus in eadem nova capella in omnibus et per omnia, quemadmodum in jam dicta capella sancti Martini celebrari consuevit, sollemniter singulis diebus ante matutinarum inchoationem celebrandam, instituendam ipsamque ut sic celebrari demandandum duximus ac instituimus et demandamus per praesentium tenorem, sic quod aedituus sive famulus ad ministrandum supradictis presbyteris Martinensibus deputatus, quemadmodum ab antea in praefata capella sancti Martini, ita et in futuris in jam dicta nova capella in et pro memoratae missae celebratione, libros, calices, casulas et alia ornamenta una cum luminaribus altaris per prius ad hujusmodi deputatis, in antea more solito cooperando ministrare, prospicere et deservire teneatur. Et nichilominus attendentes, quia pia mater ecclesia de animarum salute sollicita fidelium devotionem per quaedam munera spiritualia, indulgentias vi-

Digitized by Google

delicet et remissiones nonnullotiens incitare consuevit ad debitum famulatus honorem altissimo sacrisque aedibus impendendum, eapropter, ut Christi fideles eo avidius in et ad missam confluere studeant antedictam atque ad frequentationem capellae novae memoratae eo magis animentur et incitentur, quanto majoribus spiritualibus exinde censerint se muneribus refectos, de omnipotentis Dei misericordia ejusque intemeratae virginis Mariae praelibatae ac sanctorum omnium meritis et auctoritate confisi, omnibus et singulis Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui missae praetactae, dum, quando et quotiens, ut praefertur, eandem celebrari contigerit, devote tam in, quam extra hujusmodi capellam, dummodo tamen in ecclesia interfuerint, quadraginta dies indulgentiarum de injunctis eis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Supradicta tamen primaeva institutione praefatae missae decantandae aliis in omnibus et per omnia in suo robore permanente et signanter quoad alias tres missas singulis septimanis in capella sancti Martini praedicta celebrandas, quas inibi simili modo in antea celebrari ac institutioni hujusmodi aliis in ullo derogare, quin imo ipsam inviolabiliter observari volumus. Tenor vero confirmationis literarum, de quibus supra fit mentio, sequitur sub hac verborum forma: Conradus etc. (sicuti apud Würdtwein, Sub. dipl. tom. IX. 171). Ut autem translatio, institutio aliaque praemissa rata et firma permaneant atque temporis lapsu a memoria hominum, quae labilis est, minime recedant perpetuisque temporibus, ut praefertur, diligenter observentur, adimpleantur et roboris firmitate persistant, praesentes nostras literas exinde fieri nostrique pontificalis sigilli mandavimus et fecimus appensione communiri, decernentes irritum et inane, si secus super hiis a quoquam contigerit attemptari. Nos vero Johannes de Stettenberg, decanus et capitulum ecclesiae Spirensis antedictae, cum praemissa omnia et singula de nostris unanimis consensu et voluntate expressis processerint, ideo in eorundem evidens testimonium sigillum capituli, quo ad causas utimur, ad reverendi patris et domini nostri, domini Matthiae episcopi Spirensis memorati sigillum praesentibus appendi fecimus. Et nos Petrus de Lapide, legum doctor, cantor et collator supradictorum, quia ad translationem, institutionem omniaque alia et singula praescripta consensum nostrum benevolum voluntatemque adhibuimus, prout harum serie literarum adhibemus, easdem literas una

Digitized by Google

cum sigillis praetactis sigillo nostro simili modo appendente ob hoc communiri procuravimus. Datum et actum in civitate nostra Spirensi die sabbati decima mensis februarii, anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto.

---

203. ***Matthias bischof zu Speyer verlegt den St. German's altar und dessen pfründe in die Marien capelle des Speyerer domes. Speyer, 1476 febr. 10.***

Ad perpetuam rei memoriam. Quoniam hominum vita et jam viventium memoria labilos existunt, expedit, ut ea, quae utiliter ab aliquibus fiunt, scripturae testimonio commendentur, ne aliqui in posterum novas super rebus gestis suscitent quaestiones. Noverint igitur praesentes et futuri harum seriem literarum inspectores, quod nos Johannes de Stettenberg, decanus totumque capitulum ecclesiae Spirensis provida consideratione perpendentes altare in honorem sancti Germani in dicta ecclesia consecratum in loco minus patulo aliisque pluribus respectibus inconvenienter, videlicet in medio fere corporis ejusdem ecclesiae versus latus sinistrum, constrictum atque collocatum fore, presbyterosque exinde in eodem altari celebrantes propter diversorum hominum circumcirca deambulantium et praetereuntium strepitus nonnullotiens in eorum devotionibus impediri, praemissis et nonnullis aliis rationabilibus de causis permoti, idem altare, nec non vicariam sive capellaniam una cum missis celebrandis dudum desuper per bonae memoriae magistrum Richardum de ecclesia sancti Germani, dum vixit canonicum, fundatam et institutam, de et ex reverendi in Christo patris et domini, domini Matthiae episcopi Spirensis, domini nostri gratiosi specialibus consensu, indulto et auctoritate de specialis dono gratiae, ad nostrumque instantes petitionem et supplicationem concessis, de loco antedicto in et ad capellam gloriosissimae Mariae virginis, noviter per eundem dominum nostrum erectam atque constructam, more solito duximus transferendum ac transtulimus, prout transferimus per praesentes sic et taliter, quod vicarius sive capellanus in praefato altari sancti Germani beneficiatus, omnes et singulas missas in dicto altari, ut praefertur, institutas, una cum indulgentiis altaris ac processione chori ex post ad idem altare ordinata ex nunc in antea perpetuis futuris temporibus in jam dicta nova capella ac supra altari inibi erecto, libris tamen, casulis et aliis

Digitized by Google

214. *Ludwig bischof zu Speyer erneuert und ordnet die dombruderschaft zu Speyer. Udenheim,* 1483 *dec.* 15.

Ludovicus Dei gratia episcopus Spirensis, universis et singulis abbatibus, prioribus, praepositis, archidiaconis, officialibus, archipresbyteris, decanis, camerariis, plebanis, viceplebanis, primissariis, altaristis, capellanis, rectoribus caeterisque clericis, tam religiosis, quam saecularibus, per nostras civitatem et dioecesim Spirensem ubilibet constitutis, ad quos praesentes nostrae literae pervenerint, aeternam in Domino salutem et in commissis diligentiam debitam adhibere. Quoniam ad horrendum archangelicae tubae clangorem in novissimi diei tremendo judicio omnes nos reassumptis corporibus manifestari oportet ante judicis pertremendi tribunal, ad metendum, quidquid quilibet in praesentis occurrentis vitae stadio, sive bonum, sive malum, seminaverit, tanto illuc quemque tutius credimus prosperare, quanta vi misericordiae de iniquitatis mammona sibi quivis amicos facere studuerit, quorum praesidio in aeterna recipi mereatur tabernacula. Inter omnes autem aeterni regis amicos ejus non ambigimus potentissimum admitti precesque matris non pati repulsam, quae castitatis comite pudore retento, prout nostri status flagitabat necessitas, ipsum regem ac salutis omnium procreavit auctorem. Unde etiam coelorum regina, fons pietatis, mater misericordiae non inconvenienter effecta apud suum filium, quem maternis aluit uberibus, pro sibi devotis preces effundere satagit, ac pro peccatis populorum eam honorantium tanquam advocatrix

Digitized by Google

strenua intercedit, per quam solam solus ipse Dominus, omnium coeli terraeque opifex, suo castissimo natus utero, misertus est cunctis fidelibus. Sibi igitur universisque eo devotius studeat servitia impendere, quo ejus patrociniis maluerit in extremis adjuvari. Hujusmodi siquidem et alia jam dictae intemeratae Dei genitricis ineffabilia meritorum insignia intra nostrae mentis arcana revolventes, dignum, quin potius debitum arbitramur, ut in ejus laudem cathedralem nostram et matricem ecclesiam Spirensem mirifice atque sumptuosissime aedificatam et in sui nominis honorem singulariter consecratam ac multiplicibus indulgentiis a summis pontificibus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis singulariter insignitam, quemadmodum specialissima devotione, quam ad eandem piissimam virginem Mariam, inclitam propugnatricem et ecclesiae nostrae jam dictae patronam, gerimus ferventi animo, summo studio colere et extollere studeamus atque quantum cum Deo poterimus, promoveamus. Cupientes itaque Christi fideles nobis subjectos, prout ex injuncto nobis servitutis officio obligamur, ad tantae virginis obsequium ac pietatis opus incitare, expensisque, laboribus, sumptibus et periculis in et circa collectionem ad fabricam ecclesiae nostrae jam dictae per et hucusque tam cum ejus collectoribus, quam alias diversimode factis et passis, modis, quibus possimus, salubriter obviare ac ipsius ecclesiae indemnitati consulere, idcirco ad oblatae petitionis nobis pro parte venerandorum devotorumque in Christo dilectorum decani et capituli praefatae ecclesiae nostrae Spirensis instantiam statuimus, volumus et ordinamus, vobisque omnibus et singulis et signanter plebanis curatis et aliis supradictis, quorum interest vel interereit, et qui praesentium vigore fuerint requisiti, sub obedientiae debito, nec non suspensionis et excommunicationis poenis, quas in secus facientes ferimus, in his scriptis districte praecipiendo mandamus, quatenus supradictam ecclesiam nostram omniumque aliarum civitatis et dioecesis praedictarum ecclesiarum matricem, a qua tamquam ex fonte aquarum rivuli cuncta salutifera effluunt sacramenta, ac in qua per Dei gratiam magnus presbyterorum inibi devote psallentium reperitur numerus diurnaeque et nocturnae horae ac alia dominica et sacra mysteria quotidie sollemnizari ac pro benefactoribus et contribuentibus orationes fundi consueverunt, ejusque fabricam et petitionem prae omnibus aliis petitionibus, negotiis et ecclesiis singulis diebus dominicis et festivis infra

Digitized by Google

missarum sollemnia, dummodo sermonem ad populum feceritis aut alias festa sanctorum pronuntiaveritis in cancellis vestris diligenter et fideliter una cum indulgentiis praetactis, multipliciter elargitis ac fraternitate ecclesiae aliisque juxta tenorem cedularum, dudum vobis desuper exhibitarum et ad cautelam denuo exhibendarum tenorem et modum hactenus introductum ac etiam circa legationes, donationes et testamenta per subditos vestros faciendos et facienda promovere studeatis et signanter volumus, ordinamus atque praecipimus poenis sub antedictis, quod ex nunc in antea singuli plebani omnium et singularum parochialium ecclesiarum dioecesis nostrae antedictae praefatam ecclesiam Spirensem, pro cujus fabrica et structurarum conservatione praecipue in pavimento lapideo, undique de novo reformato, atque circa altare sanctae Annae, quo imago praelibatae gloriosissimae virginis Mariae nonnullis miraculorum virtutibus promulgata dignoscitur contineri, atque organorum, campanarum, fenestrarum, librorum, casularum et aliorum ornamentorum manutentione, maxime et quodammodo innumerabiles expensae jam habitae et factae, ac non minores pro comparatione novae tabulae summi altaris, cujus antiqua tractu temporis ruinam minatur et jam fere vermibus extitit corrosa, nec non sedilium chori nova aedificatione necessarie faciendae sunt ipsamque fabricam et ejus petitionem et negotium hujusmodi singulis annis, specialiter in festo annuntiationis beatae virginis Mariae proxime futuro festo inchoando promoveatis ac quilibet vestrum promoveat modo et forma subnotatis. Videlicet quod quilibet plebanus, seu ejus vices gerens, una cum presbyteris et clericis in sua ecclesia beneficiatis et scolaribus dicto annuntiationis festo processionem per circuitum ecclesiae sollemniter cum crucibus et decantatione responsoriorum „Christi virgo“ et „Felix namque“, vel aliorum de beata virgine sonantium et reliquarum deportatione facere ac missam de eadem virgine gloriosissima sollemniter decantare, nec non infra eandem post evangelium et ante offertorium fraternitatem beatae Mariae virginis sive fabricae praedictae promoveat omniumque et singulorum fratrum et sororum in et ad eandem inscriptorum hactenus et in futurum inscribendorum sub sua parochia existentium nomina more solito pronuntiet ac subditos suos ad pie contribuendum manusque porrigendum adjutrices ad fabricam antedictam ac tam salubre tanquam supernecessarium opus et negotium via et modo

Digitized by Google

meliorıbus, quibus poterit, diligenter inducere, monere, incitare ac sermonem desuper ex tum et etiam post prandium, in locis, quibus saltem talis modi fieri consuevit, seu alias videbitur profuturum facere aliisque petitionem hujusmodi promovere juxta formam, quam sibi et cuilibet vestrum decrevimus exhibendam, non omittat et ex post aliqua monstrantia sive sanctuario singulos offerentes et ad praetactum opus pie contribuere volentes more solito tangendo, oblationes et donata pro tempore fideliter colligat et in capsulam sive pixidem fabricae praedictae juratorum ecclesiae vel aliorum fide dignorum hominum ad hoc vocandorum in praesentia cum eorundem annotatione reponat, compulsatis in praemissis omnibus campanis aliisque sollemnitatibus adhibitis opportunis, sic tamen, quod quilibet vestrum praemissa, ut sic peragenda per antea duobus ad minus diebus dominicis immediate praecedentibus et totidem vicibus omnibus et singulis utriusque sexus subditis et parochianis vestris discretionis annos ac animum eucharistiae sacramentum salutiferum in paschate tum futuro sumendi habentibus, in cancellis palam et publice intimetis eosque omnes et singulos tam clericos, quam laicos, quatenus die, loco et hora praetactis ad praemissa convenire eaque diligentius audire ac illis devote interesse non omittant, sub obedientiae debito districte auctoritate nostra moneatis et requiratis, quos nos etiam ex nunc, prout ex tunc et ex tunc, prout ex nunc, ut sic requirimus et monemus per praesentes. Inhibentes praeterea omnibus et singulis aliis personis saecularibus et regularibus poenis sub antedictis, ne ipsi aut aliquis eorum eo tempore, quo praemissa peragi contigerit, sermonem publicum coram populo facere vel aliquid aliud in negotii praetacti et ecclesiae Spirensis praejudicium quoquo modo attemptare praesumant, seu aliquis eorum praesumat. Ut autem quivis vestrum ad praemissa peragendum fideliterque promovendum magis efficiatur, vobis omnibus et singulis, tam religiosis, quam saecularibus, ex certa scientia auctoritate nostra ordinaria duximus indulgendum et praesentium tenore indulgemus, illis praesertim, in quorum monasteriis, ecclesiis, capellis et oratoriis petitio et negotium fabricae hujusmodi, modo et forma praemissis fuerint effectualiter promota, ac ubi collectores ejusdem more solito ad colligendum solent circuire et in quibusvis locis hujusmodi, etiam si nostra seu judicis nostri vel venerabilium dominorum, archidiaconorum curiae nostrae Spirensis vel officia-

Digitized by Google

lium ipsorum auctoritatibus ecclesiasticis fuerint supposita, interdictis supradictis peractione sive promotione, nec non singulis festivis et dominicis diebus a dominica Invocavit, usque a dominicam post festum nativitatis Mariae, quibus omnibus diebus petitionem fabricae ad pixides more solito et secundum praetactarum cedularum sive chartarum tenorem, diligenter promoveri et easdem cardulas palam et publice coram omni populo cum solita et diligenti ejusdem populi ad contribuendum inductione, fideliter, summarie saltem sive effectualiter publicari volumus, divina officia cum horis canonicis a primis vesperis usque ad secundas vesperas inclusive publice cum nota appertis januis coram populo ac solita sollemnitate celebrare possitis et valeatis, quatenus ex hujusmodi et alia diligentia vestra Christi fideles ad devotionem inducantur ampliorem, excommunicatis tamen et nominatim interdictis exclusis et nichilominus omnibus in et ad fraternitatem fabricae sive ecclesiae memoratae rite et legitime assumptis et inscriptis, etiamsi ecclesiae vel loca, ad quas vel quae pertinent, fuerint, ut praefertur, interdicta ecclesiastica sacramenta, nisi aliud canonicum obsistat impedimentum, ministretis et si eos interdicto hujusmodi durante debitum naturae persolvere contigerit, nisi excommunicati aut nominatim interdicti seu publici usuarii extiterint, vel alias de jure ecclesiastica fuerit prohibita sepultura, ipsis eandem sepulturam, praetermissa tamen sollemnitate solita, non denegetis, effectum enim suspensionis et interdicti hujusmodi illis temporibus auctoritate qua supra tollimus in his scriptis, mandantes insuper omnibus et singulis praelatis et plebanis ecclesiarum et divinorum rectoribus, quatenus quilibet ipsorum pixidem jam habitam vel saltem sibi ex parte fabricae praesentandam, duabus clavibus seratam, quarum unam ipse, alteram vero decanus seu camerarius capituli penes se habeant ad reponendum sub ipsius pixidis clausura, collectam pecuniam et contributiones ac pias Christi fidelium largitiones pro fabrica praedicta contribuendas ad se recipiat et fideliter reservet, nec non omnia et singula, ut sic recepta, provenientia sive collecta ac in pecuniis reperta numeret, in lino vero, caseis, ovis, pecoribus vel aliis rebus hujusmodi consistentia, adjutorio sive consilio collectoris sui loci vendi et in pecunias converti procuret, quas similiter numerando una cum praedictis pecuniis ad eandem pixidem absque diminutione aliqua ecclesiae convocatis juratis et in ipsorum prae-

Digitized by Google

sentia aliorumve fide dignorum sub testimonio una cum omnium collectorum specifica inscriptione vel annotatione imponat et recludat, ipsamque pixidem cum clave, clinodiis aliisque provenientibus sive donatis ad fabricam saepedictam in capitulari sive synodali sui capituli ruralis convocatione sive congregatione post synodum Jubilate celebrandam decano vel camerario suo fideliter sub poenis antedictis praesentet seu praesentari procuret, suorum laborum suaeque diligentiae remunerationem condignam atque reverentiam recepturus, quam quidem pixidem cujuslibet loci decanus sive camerarius, cui id specialiter fuerit commissum, in aliquorum capituli sui fide dignorum praesentia apperiat, inibique reperta et inventa una cum clinodiis et aliis praetactis conscribat et procuratoribus dictae fabricae Spirensis fideliter et quantocius commode facere poterit, praesentet sive praesentari procuret, consimilem remunerationem pro suis laboribus et diligentiis recepturus condecentem. Inhibentes sub dictis suspensionis et excommunicationis, in his scriptis latae sententiae poenis, ne aliquis vestrum vel ipsorum, cujuscunque dignitatis fuerit sive status, quicque de contribuendis donatis vel quomodolibet elargitis antedictis sibi appropriare, inbursare, recipere vel retinere, nisi id, quod sibi nomine dictae fabricae fuerit liberaliter donatum sive deputatum, neque etiam aliquem quaestorem, terminarium, petitorem sive nuntium cujuscunque alterius negotii ad et per tempus quadragesimale admittere quomodo praesumat. Rursus vero omnibus et singulis vere poenitentibus et confessis, qui dicto festo in peractione et promotione fabricae ac in missa et processione praetactis devote interfuerint, totiens quotiens peragi contigerit, aut qui alias ad dictam fabricam manus porrexerint adjutrices, vel in ultimis voluntatibus seu testamentis suis aliquid dandum sive largiendum duxerint, de omnipotentis Dei misericordia ejusque beatissimae virginis Mariae, saepedictae ecclesiae nostrae patronae, apostolorumque ejus meritis et auctoritate confisi, quadraginta dies indulgentiarum de injunctis eis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus, vota etiam fracta, transgressiones juramentorum ex animi levitate sine praejudicio procedentes, offensas patrum et matrum sine manuum injectione inviolenta, solitis tamen confessionibus, contritionibus et poenitentiis perpetrantium hujusmodi praecedentibus simili modo relaxamus. Item sacerdotibus in hoc negotio fideliter laborantibus con-

Digitized by Google

donamus et dimittimus eaque ex inadvertentia forsan in horis canonicis ac aliis divinis officiis omiserint, in quantum supplere nequeant, dummodo propter hujusmodi indulgentiarum remissionem nostramque largitatem eadem peccata eo facilius non committant. Volumus etiam, quod usura, rapinae, furta . . . et alias male acquisita, quas vagas restitutiones appellamus, dummodo veri heredes nequeant invenire, reddantur fabricae dictae ecclesiae. Si autem, quod absit, aliquis vestrum vel quicunque alius secus facere praesumeret aut in praemissis negligens reperiretur, nos contra ipsum ad dictarum poenarum et sententiarum executionem indubie procedi procurabimus justitia mediante. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium praemissorum praesentes nostras literas exinde fieri nostrique sigilli jussimus et fecimus appensione communiri. Datum et actum in castro nostro Udenheim, feria secunda post festum sanctae Luciae virginis, sub anno Domini millesimo quadringentesimo octogesimo tertio.

---

215. *Ludwig bischof zu Speyer benennt seinen weihbischof Stephan auf die pfarrei Waibstadt. Udenheim,* 1485 *jan.* 28.

Ludovicus Dei gratia episcopus Spirensis, venerabili amico, nobis dilecto domino, Diethero Rammung, praeposito Wympinensi, salutem et sinceram in Domino caritatem. Vacante pridem pastoria in Weibstatt, Wormatiensis dioecesis, per obitum magistri Petri de Sobernheim, novissimi ejusdem dum vixit possessoris, cujus pastoriae, dum vacaverit, praesentatio imperiali jure dudum ad praedecessores nostros nosque pertinere ac spectare dinoscitur. Quare reverendum in Christo patrem, dominum Stephanum, episcopum Termopilensem, nostrum in pontificalibus vicarium generalem, ad eandem pastoriam investiendum praesentavimus praesentamusque vobis per praesentes, cupientes, quatenus eundem dominum Stephanum de praefata pastoria investiri more solito atque eidem de universis fructibus, proventibus, pertinentiis et emolumentis ejusdem de omnibus et singulis, quorum interest, ad integrum responderi facere velitis, agitis in hoc rem nobis beneplacitam in similibus retorquendam. In quorum praemissorum testimonium sigillum nostrum praesentibus est appensum. Datum in castro nostro Udenheim vigesimo octavo die mensis januarii, anno Domini millesimo quadringentesimo octogesimo quinto.

Digitized by Google

216. *Johann abt zu Cisterz erklärt sich namens seines ordens gegen die überlassung des klosters Ramsee an den bischof von Worms. Cisterz,* 1486 *sept.* 14.

Nos frater Johannes, abbas Cistercii, caeterique definitores capituli generalis, Cisterciensis ordinis, notum facimus universis. Cum in eodem generali capitulo, quarto decimo mensis septembris, anno Domini millesimo quadringentesimo octogesimo sexto apud Cistercium celebrato, facta fuit quaedam definitio, cujus tenor sequitur et est talis: Generale capitulum pro viribus resistere volens jurium et locorum ordinis invasoribus suasque libertates, privilegia et exemptiones inconcussa servare, in virtute salutaris obedientiae et sub excommunicationis poena mandat et praecipit abbatibus de Mulbrunna, de Schoenavia et de utrina valle, quatenus quam primum commode fieri poterit, ad reverendum in Christo patrem et dominum, dominum episcopum Wormatiensem personaliter accedant, eumque ex parte totius nostri ordinis rogent et petant, ut monasterium de Ramosa sibi per fratrem Georgium, dudum possessorem dicti monasterii, ut asseritur, resignatum ac contra ordinis libertates et privilegia commendatum, ordini restituat ipsumque nostrum ordinem suis juribus, privilegiis et libertatibus in sua dioecesi pacifice gaudere permittat. Qui si, quod absit, acquiescere noluerit, contra eum per omnis juris et justitiae vias procedant, illustrissimi principis et domini, domini Philippi comitis palatini Rheni ducisque Bavariae, nostri ordinis protectoris ac benefactoris singularissimi, nec non omnium aliorum dominorum, judicum aut potentatum, ecclesiasticorum et saecularium, invocando auxilium pariter et favorem. Quae omnia praemissa, ut melius exerceri valeant, praesens generale capitulum ipsos abbates de Mulbrunna, de Schoenavia et de utrina valle et eorum quemlibet in solidum, absentes tanquam praesentes nomine totius ordinis tenore praesentium suos legitimos et indubitatos constituit procuratores, yconomos, syndicos, negotiorum gestores ac nuntios speciales melioribus modo et forma, quibus potest, ad appellandum ad sanctissimam sedem apostolicam omniaque alia et singula agendi, faciendi et exercendi in judicio et extra judicium coram quibuscunque judicibus aut potentatibus, quaecunque pro libertatibus et privilegiis ordinis defendendis necessaria fuerint et opportuna in plenaria ordinis potestate. Datum sub sigillo defi-

Digitized by Google

nitorum ejusdem capituli generalis die, mense, anno et loco supradictis. Nicolaus abbas Pomerii.

---

217. *Ludwig bischof zu Speyer benennt seinen weihbischof Heinrich auf die pfarrei Waibstadt. Speyer,* 1487 *april* 5.

Ludovicus Dei gratia episcopus Spirensis, venerabili in Christo nobis dilecto domino, Diethero Rammung, praeposito ecclesiae collegiatae sancti Petri vallis Wimpinensis, Wormatiensis dioecesis, aut ejus officiali aeternam in Domino salutem. Ad pastoriam parochialis ecclesiae in Weibstatt dictae dioecesis vacantem ad praesens per liberam resignationem in Christo nobis dilecti Linhardi Wilstein, presbyteri, ultimi ejusdem possessoris, cujus quidem postoriae collatio seu jus praesentandi ad eandem, dum vacat, ad nos pleno jure dignoscitur pertinere, reverendum in Christo patrem, dominum Heinricum, episcopum Termopolensem, vicarium nostrum in pontificalibus generalem, cui dictam pastoriam contulimus, praesentamus per praesentes, rogantes pariter cum eodem, quatenus praedictum reverendum patrem praesentatum vel procuratorem ejus legitimum pro eo ad eandem pastoriam investire ac instituere et in possessionem ejusdem ac omnium jurium et pertinentiarum ipsius inducere dignemini sibique de universis et singulis fructibus, redditibus et proventibus dictae pastoriae praesentari faciatis, adhibitis circa praemissa sollemnitatibus debitis et consuetis. In cujus testimonium secretum nostrum praesentibus est appensum. Datum in civitate nostra Spirensi, feria quinta post dominicam Judica, anno Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo septimo.

---

218. *Georg von Gemmingen generalvicar zu Speyer vereiniget zwei altarpfründen zu St. Martin mit einander. Speyer,* 1487 *juli* 23.

Georgius de Gemmyngen utriusque juris doctor, cantor et canonicus ecclesiae Spirensis, reverendique in Christo patris et domini, domini Ludovici episcopi Spirensis in spiritualibus vicarius generalis, ad infrascripta specialiter deputatus. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem praebere consensum et vota, quae a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Sane pro parte validi et honesti viri

Digitized by Google

Philippi Camerer de Talburg armigeri nobis oblata petitio continebat, quod licet dudum duo perpetua, unum videlicet in ecclesia parochiali villae sancti Martini ad altare decem millium martyrum, quod in Christo nobis dilectus Johannes Russ, presbyter dictae dioecesis, novissime possedit et aliud in castro Krobspergk, quod in Christo nobis similiter dilectus Nicolaus Hammer de Hernsheim, presbyter ejusdem dioecesis, obtinet de praesenti, beneficia ecclesiastica de ejusdem Philippi collatione, praesentatione aliaque dispositione existentia, pro duobus presbyteris saecularibus competenter dotata fuerint atque fundata, tamen eorundem beneficiorum fructus, redditus et proventus propter ipsorum diminutionem et sinistris eventibus provenientes pro presbyterorum et personarum iisdem beneficiis deservientium sustentatione minime sufficiant et sicut eadem petitio subjungebat, si beneficium in ecclesia parochiali ad altare decem millium martyrum de et ex praefati Johannis Russ resignatione vacans praefato beneficio castri Kropsbergk perpetuo annecteretur, uniretur et incorporaretur, quilibet ex tunc ejusdem beneficii in Krobspergk castro instituti beneficiatus sive possessor desuper commode residentiam facere personalem, missas celebrare ac onera sibi incumbentia eo facilius perferre valeat. Quapropter pro parte ejusdem Philippi nobis humiliter supplicato, quatenus antedictum beneficium in ecclesia parochiali ad sanctum Martinum per resignationem dicti Johannis Russ coram nobis et in nostris manibus hodie dato praesentium factam vel alias quomodolibet vacans, praefato beneficio in castro Krobspergk perpetuo unire, annectere et incorporare, nec non ipsi Johanni Russ certam annuam pensionem de et super fructibus, redditibus et proventibus jam dicti beneficii annectendi ad et per tempora vitae suae reservari, mandari aliisque super his opportune providere dignaremur. Nos igitur Georgius doctor, cantor et vicarius memoratus, dicti Philippi de Talburg armigeri supplicationibus, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuentes, idque de et in praemissis sufficientibus informatione et deliberatione praehabitis, attendentes supplicationem hujusmodi fore justam et consonam rationi, supradictum beneficium altaris decem millium martyrum ex resignatione praefati Johannis Russ, ut praemittitur vel alias quovis modo vacans, una cum omnibus et singulis suis redditibus, proventibus, obventionibus, emolumentis, honoribus, oneribus, juribus et pertinentiis, de et ex ve-

Digitized by Google

nerabilis et egregii viri, domini Udalrici de Helmstat, decretorum doctoris, praepositi memoratae ecclesiae Spirensis, in et sub cujus archidiaconatu dicta beneficia situata forent, consensu, assensu pariter et voluntate expressis, ex certa nostra scientia, jam dicto beneficio in castro Krobspergk auctoritate ordinaria praelibati domini nostri episcopi nobis specialiter commissa et qua fungimur in hac parte, perpetuo uniendum, annectendum et incorporandum duximus, prout unimus, annectimus et incorporamus per praesentes, volentes tamen ex auctoritate praedicta decernentes, quod supradictus Nicolaus Hammer et sui in beneficio castri Krobspergk successores dicti beneficii uniti redditibus, bonis et proventibus libere et licite frui et uti possunt certa honesta pensione ipsi Johanni Russ, quoad vixerit, per eosdem persolvenda juxta certarum literarum desuper confectarum tenorem, auctoritate nostra ordinaria reservata salva, quodque iidem singulis hebdomadis tres missas, unam videlicet die dominica cum benedictione aquae et salis, secundam die congruenti in castro jam dicto et tertiam in ecclesia parochiali supradicta legere et celebrare atque plebano dominicis et aliis festivis diebus adstantiam facere debeant atque teneantur, prout ipsi possessores pro tempore existentes omnipotentis Dei indignationem superiorumque suorum correctionem voluerint evitare. Census altaris decem millium martyrum in ecclesia parochiali sunt etc. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium praemissorum praesentes nostras literas exinde fieri et per notarium nostrum infrascriptum manualiter subscribi nostrique vicariatus sigilli jussimus et fecimus appensione communiri. Datum et actum Spirae crastino sanctae Mariae Magdalenae, anno Domini MCCCCLXXXVII. Et nos Udalricus de Helmstat, decretorum doctor, praepositus memoratus, ad universorum, quorum interest vel intererit quomodolibet in futurum, notitiam deducimus et deduci volumus per praesentes, quod omnia et singula in praesentibus literis contenta de nostris assensu et consensu praecesserunt, idcirco sigillum praepositurae nostrae sigillo supradicti domini Georgii doctoris, cantoris ac in spiritualibus vicarii generalis Spirensis, appendi fecimus. Datum et actum anno et die praenotatis. Ex commissione speciali dicti domini vicarii, Johannes Ritter notarius subscripsit.

Digitized by Google

219. *Innocenz VIII. pabst giebt auftrag, einen streit wegen besoldung des pfarrvicars zu Altrip zu schlichten. Rom,* 1488 *aug.* 5.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Johanni Fust, praeposito in Wilburg, Trevirensis dioecesis, in civitate Moguntinensi commoranti, et beatae Mariae ad gradus Moguntinensis ac sanctae Catharinae in Oppenheim, Moguntinensis dioecesis, decanis ecclesiarum salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis dilecti filii abbas et conventus monasterii in Hemmenrode Cisterciensis ordinis, Trevirensis dioecesis, petitione monstrarunt, quod olim Matthaeus Wal, perpetuus vicarius parochialis ecclesiae villae Altripf, Spirensis dioecesis, falso asserens, quod abbas et conventus praedicti, qui ipsius ecclesiae patroni existunt, sibi congruam portionem de fructibus ejusdem ecclesiae dare et assignare contra justitiam denegarent, praefatos abbatem et conventum super hoc petendo eos condemnari et compelli ad dandam et assignandam sibi congruam portionem hujusmodi coram officiali Spirensi judice nuncupato non ex delegatione apostolica traxit in causam et idem officialis in illa perperam procedens diffinitivam pro dicto Matthaeo et contra dictos abbatem et conventum sententiam promulgavit iniquam, eosdem abbatem et conventum in expensis in eadem causa factis, illarum taxatione sibi in posterum reservaturam nichilominus condemnando, contra quam quidem sententiam abbas et conventus praedicti ad sedem apostolicam appellarunt. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus in appellationis causa hujusmodi procedentes legitime sententiam ipsam confirmare vel infirmare appellatione remota curetis, prout de jure fuerit faciendum. Quodsi non omnes hiis exsequendis potueritis interesse, duo aut unus vestrum ea nichilominus exequantur. Datum Romae apud sanctum Petrum, anno incarnationis dominicae millesimo quadringentesimo octuagesimo octavo, nonas augusti, pontificatus nostri anno quarto.

---

220. *Ludwig bischof zu Speyer ertheilt den domvicaren zu Speyer die erlaubniss, hermelinpelze zu tragen. Speyer,* 1490 *jan.* 18.

Ludovicus Dei gratia episcopus Spirensis, universis et singulis, ad quos praesentium notitia pervenerit, salutem. Inter caetera nostrae pontificali curae a Deo credita id nostra in-

Digitized by Google

primis referre arbitrati sumus, ut ecclesiae nostrae Spirensis non modo utilitatem, sed etiam decus et ornamentum pro viribus nostris in dies adaugere studeamus. Nam quae regium ac imperatorum Romanorum memorabili sepultura insignis et praeclara est, et quam plurimarum personarum numerus omnipotentem Deum variis divinorum obsequiorum generibus rite et sedulo in ea collaudantium pulchram laudatam facit et excellentem, eam ipsam nos quoque decet auctoritate nostra ordinaria pulcheriorem reddere et quantum possumus venustiorem. Credidimus autem et illustrissimorum principum sententia personali certum ac indubitatum rati sumus, majori eidem ecclesiae nostrae ornamento decorique futurum, si ejus vicariorum almutia, quae hucusque ex nigris ovium pellibus contexta fuere, in honestiorem de aspriolis vestitum, qualem in metropolitana caeterisque Moguntinae provinciae cathedralibus vicarii deferunt, contingeret immitari. Itaque ob Dei omnipotentis gloriam, ecclesiae nostrae decus, vicariorum majus ornamentum, auctoritate nostra ordinaria, qua in hac parte nullo prorsus refragante fungimur, sincerissimo affectu inducti statuimus et ordinavimus et in generali dictae nostrae ecclesiae capitulo, decano et eodem capitulo consentientibus, coram eisdem singulisque vicariis praesentibus, nos ipsi motu proprio et ex certa scientia vivoque vocis oraculo pie exhortati sumus districteque praecepimus, ut de caetero ejusdem nostrae cathedralis ecclesiae vicarii, inter quos a retroactis temporibus in hanc nostram tempestatem nonnullos multarum rerum ac scientiarum peritia et gradibus praeditos fuisse constat, posthabitis et rejectis nigris ovium pellibus, quibus hactenus usi sunt, almutiis de aspriolis instar vicariorum metropolitanae et caeterarum Moguntinae provinciae cathedralium, qui etiam collegiatarum ecclesiarum canonicis in illis, et plurimum civitatibus, in quibus sedes sunt episcopales, eadem almutiorum religiosa et ceremoniali veste similes fuerunt, utantur in perpetuum, cupientes et volentes hanc nostram almutiorum immutationem non solum a vicariis ipsis inviolabiliter perpetuis temporibus observari, sed etiam, ut nullo in contrarium praevalente, immutabiliter observetur a nostris successoribus ob Dei gloriam, ecclesiae majorem venustatem, vicariorum decus, fideliter defendi, manuteneri, perpetuari, denique huic nostrae constitutioni rebelles et quovis modo contravenire praesumentes aut quicunque nostrae ecclesiae vicarios in hujusmodi almutiorum delatione impe-

Digitized by Google

dire, molestare aut perturbare temtaverint, eosdem excommunicationis poenam ipso facto praesentibus incidisse volumus, decernimus et sancimus. Datae in civitate nostra Spirensi decima octava die januarii, anno salutis nostrae millesimo quadringentesimo nonagesimo.

---

221. *Ludwig bischof zu Speger überschreibt der frau Clara, mutter des grafen Ludwig von Löwenstein, ein hauptgeld.* 1490 *märz* 2.

Wir Ludowig von Gots gnaden bischoff zu Spire, bekennen offenlichen mit diesem brieve fur vns, vnser nachkomen vnd stiefft. Nachdem der wolgeborn herr Ludowig, grave zu Lewenstein vnd herre zu Scharfenecke, vnser lieber besunder frunt vnd getruwer, frauwe Clara siner mutter ir lebenlang die zweyhundert gulden gult, so er vff vns vnd vnserm stiefft jerlich nativitatis Mariae fallen zu niessen zugestellt hat. Das wir flissiger bete gunst vnd verwilligung halb des genannten grave Ludowigs, nach lut eins versiegelten briefs wir deshalb von im inhaben, des datum steet vff fritag post Esto mihi, in dem jare als man zalt nach Cristi vnnsers herrn geburt thusent vier hundert vnd nuntzig jare, hinfur der genannten frauwe Clara ir leben lang vf ir zimlich quittantz mit den zweyhundert gulden gult jerlich nach jedem ziele gewarten vnd ir die vss riechtigen wollen in massen wir bitzher grave Ludowichen schuldig gewest sint vnd nach irem abgang tots widderum dem benannten grave Ludowigen vnd sinen erben. Vnd ob vns oder vnsern nachkommen fugen wolt, solch gult nach lut des heuptbriefs abzulosen, sol die ablosung in grave Ludowigs handt oder nach sinem tode in siner muter hant, ob sie ine vberlebt, geschehen, der sie vns gehorsam sin vnd als bald vnss oder vnsern nachkommen den erledigten heuptbrief alsdann hervss geben vnd volgen lassen sollen, alles vngeverlich. Zu vrkund versiegelt mit vnserm anhangenden ingesiegel. Geben am dinstag nach dem sondag Invocavit, anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo.

---

222. *Innocenz VIII. pabst bestätiget den domvicaren zu Speyer den vorzug, hermelinpelze tragen zu dürfen. Rom,* 1490 *märz* 6.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Sollicitudine continua de ecclesiarum qua-

Digitized by Google

rumlibet statu non solum conservando, sed etiam adaugendo assidue cogitantes, ecclesiarum ipsarum, praesertim insignium cathedralium et personarum in illis divinis laudibus insistentium decus et honorem libenter procuramus et illa, quae propterea per ecclesiarum earundem praelatos provide facta fuisse dicuntur, ut firma perpetuo inconcussa permaneant, libenter, cum a nobis petitur, apostolico munimine roboramus. Sane pro parte tam venerabilis fratris nostri Ludovici, episcopi Spirensis, quam dilectorum filiorum universorum perpetuorum vicariorum in ecclesia Spirensi nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias praefatus Ludovicus episcopus, cupiens ecclesiam et vicarios praedictos singulari privilegio decorare et ut differentia inter majoris, qui numero multi ac ut plurimi viri boni, digni, modesti et graduati existunt, ac collegiatarum ecclesiarum civitatis Spirensis vicarios cognosceretur, inter alia statuit et ordinavit, quod ex tunc de caetero omnes et singuli perpetui vicarii in dicta majori ecclesia, qui eatenus almutia de pellibus ovinis nigris deferre consueverant, almutiam hujusmodi de pellibus asperiolorum ad instar canonicorum dictarum collegiatarum ecclesiarum ac perpetuorum vicariorum in ecclesia Moguntina ad decorem et venustatem ipsius ecclesiae Spirensis, in qua plures imperatores et reges sepulti sunt, in ecclesiis et aliis locis honestis perpetuo deferre possent. Quare pro parte Ludovici episcopi ac universorum perpetuorum vicariorum in ecclesia Spirensi hujusmodi nobis fuit humiliter supplicatum, ut statuto et ordinatione praefatis pro illorum subsistentia firmiori robur apostolicae confirmationis adjicere ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui ecclesiarum omnium, praesertim insignium cathedralium decus et venustatem sinceris desideriis affectamus, Ludovicum episcopum ac singulos perpetuos vicarios in ecclesia Spirensi hujusmodi a quibuscunque excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quolibet innodati existant, ad effectum praesentium duntaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, hujuscemodi supplicationibus inclinati, statutum et ordinationem praedictam auctoritate apostolica tenore praesentium ex certa scientia approbamus et confirmamus ac praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes et singulos defectus, si qui

Digitized by Google

forsan intervenerint in eisdem, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus et ordinationibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus dictae majoris ecclesiae, juramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis caeterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, approbationis, confirmationis, communitionis et supplicationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae millesimo quadringentesimo octuagesimo nono, pridie nonas martii, pontificatus nostri anno sexto.

---

223. *Diether Riebeisen, stellvertreter des generalvicars Philipp von Rosenberg, erhebt Busenberg zu einer pfarrei. Speyer,* 1490 *oct.* 6.

Theodericus Rybysen, sexpraebendarius ecclesiae majoris, venerabilis et circumspecti viri, domini Philippi de Rosenberg, canonici Spirensis, utriusque juris doctoris reverendique in Christo patris er domini, domini Ludovici episcopi Spirensis, in spiritualibus vicarii generalis, locum tenens, ad infrascripta specialiter deputatus. Ad perpetuam rei memoriam. Ex injuncti nobis officii benignitate piis supplicum votis, illis praesertim, per quae Christi fidelium praelibato domino nostro subjectorum, nedum animarum saluti, verum etiam personarum et corporum commoditati pro divinis audiendis libenter annuimus eaque favoribus prosequimur opportunis. Sane siquidem pro parte in Christo nobis dilectorum utriusque sexus hominum de villa Busenberg, Spirensis dioeceseos, nobis oblata petitio continebat, quod, cum ipsi ab antiquo, ut populus baptismalis ad ecclesiam parochialem villae Schwanden, ejusdem dioeceseos, de collatione reverendi patris ac religiosorum virorum, dominorum abbatis et conventus monasterii Clingenmunster, ejusdem dioeceseos, existentem, spectare et pertinere dinoscuntur et eidem ecclesiae parochiali ut matrici hucusque fuerint et sint subjecti: populus tamen dicti loci Busenberg Deo concedente, qui ecclesiam suam novo semper foetu multiplicat, adeo multiplicatus existat ac in antea augeri speratur, quod unius pastoris regimine

Digitized by Google

sine animarum periculo difficulter valeat gubernari supradictamque parochialem ecclesiam in Schwanden a praefato loco Busenberg per certam notabilem distantiam situatam congruis frequentando temporibus propter viarum discrimina et signanter hyemalibus et aliis lutosis temporibus plurimum tremenda, absque periculis, prout plus semel contigisse feruntur, commode nequeat visitare et ob hoc incolae et communitas dictae villae Busenberg in finem et effectum, ut capella sancti Jacobi apostoli ibidem, in qua quoddam perpetuum beneficium annuae importationis sive valoris triginta florenorum Rhenensium, una cum domo sive habitatione ad hujusmodi deputata atque orto uno perpetuo beneficiato inibi dotatum et institutum existit, in parochialem ecclesiam sive perpetuam vicariam pro eisdem erigatur et ipsi una cum eadem capella a praefata matrice ecclesia Schwanden separentur, de propriis ipsorum bonis et facultatibus contribuere seque et successores suos astringere, ut plebano in dicta capella in parochialem ecclesiam, ut praefertur, erigenda instituendo, ad dictam triginta florenorum pensionem superaddatur atque provideatur, una cum eisdem triginta florenis de pensione annua triginta quinque florenorum Rhenensium realiter assecurare, de promta ipsorum substantia sine ac absque supradictorum dominorum abbatis et conventus aut bonorum eorundem, etiam quae alias ipsis censualiter obligata forent, gravamine, sponte obtulerunt et sub impignoratione omnium bonorum ipsorum fundorum obligarunt, prout etiam honesti viri, Simon Peter et Guntzen Hansel magistri et scabini villae Busenberg fide data nomine incolarum praedictorum realiter promiserunt et quilibet ipsorum promisit et fidem dedit. Quapropter exstitit nobis pro parte praedictorum incolarum humiliter supplicatum, quatenus ipsis de et super praemissis opportune providere, nec non capellam in Busenberg antedictam in propriam baptismalem et parochialem ecclesiam erigere et instituere ac eandem una cum villa Busenberg incolisque ipsius a praelibata matrice ecclesia in Schwanden, olim ab ecclesia parochiali in Gossersweiler, ut asseritur, separata ejusque jurisdictione et cura in perpetuum separare, segregare, dividere et eximere dignaremur. Nos igitur eorundem incolarum periculis, quantum in nobis foret, obviare et saluti providere ipsorumque desuper supplicationi annuere cupientes et volentes, supradictam villam Busenberg incolasque et inhabitatores ejusdem una cum capella memorata

Digitized by Google

ob praedictas et nonnullas alias rationabiles causas nobis expositas, de et ex reverendi patris, domini Eucharii moderni abbatis et conventus dicti monasterii expressis desuper praestitis et habitis consensu et voluntate, a supradicta matrice sive parochiali ecclesia in Schwanden ejusque jurisdictione auctoritate ordinaria praelibati domini nostri nobis commissa et qua fungimur in hac parte, perpetuis futuris temporibus dividendam, separandam et segregandam duximus, ac praesentibus in Dei nomine more solito dividimus, separamus et segregamus eandemque capellam in Busenberg una cum ipsius beneficiato in novam parochialem et baptismalem ecclesiam erigimus et instituimus, incolas quoque et inhabitatores ejusdem villae Busenberg a parochialibus et quibuscunque aliis jurisdictionibus, quibus ipsa parochialis ecclesia in Schwanden et ejus plebanus hactenus in eosdem suffulti sive sueti fuerunt, penitus et omnino absolvimus et eximimus ac ipsos jam dictae novellae parochiali ecclesiae in Busenberg in perpetuum subjicimus, ut in divinis et aliis spiritualibus et ecclesiasticis sacramentis ministrandis atque regimine animarumque cura ad eandem pertineant in omnibus et per omnia, prout et quemadmodum ab antea ad saepedictam ecclesiam in Schwanden attinebant. Volentes et decernentes, quod quaelibet dictarum parochialium ecclesiarum de caetero perpetuam et distinctam sepulturam, perpetuumque et distinctum baptisterium habeat, sintque distinctae et divisae, ac unaquaeque in suis limitibus, plebibus et aliis jurisdictionibus contentae. Salvo quod communitas villae Busenberg praedicta triginta florenos Rhenenses pro censu perpetuo emendo atque plebano in Schwanden pro tempore existenti cedendo, eidem plebano sive juratis in Schwanden, nec non quinque florenos eisdem pro modio siliginis, quod dicta communitas hucusque campanatori in Schwanden singulis annis dare tenebantur, semel duntaxat persolvat, quodque dictae novellae ecclesiae vacationis tempore occurrente strenuus atque validus vir, dominus Hertwigus de Durckheim miles et Henricus de Durckheim armiger, ac ipsis mortuis senior haeres de stirpe Durckheim personam idoneam, quae populo ibidem praeesse et eidem ecclesiae prodesse valeat, archidiacono loci more solito investiendam praesentare possit et debeat, qui quidem ut sic praesentatus et investiendus sive institutus omnia et singula principalia, episcopalia, archidiaconalia et alia jura, quae de jure vel consuetudine exhiberi solent,

Digitized by Google

sustinere et persolvere debebit, citra dictorum dominorum abbatis et conventus praejudicium aut gravamen, residentiam quoque continuam et personalem penes et apud eandem novellam parochialem pro regimine populi vigilando facere ac ipsam deservire, prout altissimo in discreti judicii examine desuper rationem reddere ac correctionem nostram evitare voluerit, teneatur. Insuper supradicti Simonis Peter et Gunter Hansel ipsorum ac totius communitatis villae Busenberg nominibus se obligarunt, atque fide data promiserunt in eventum, quo plebanus novellae ecclesiae pro tempore existens in memoratis triginta quinque florenis Rhenensibus annuae pensionis detrimentum pateretur, sicque aliqui ex censibus eidem minime exsolverentur toties, quoties hoc fieri contingeret, ipsi incolae villae Busenberg plebanum pro tempore ibidem relevare et pro censibus hujusmodi satisfacere quodque memoratam novellam parochialem ecclesiam una cum domo plebani in debita decentique structura conservare, nec non calices, libros, campanas et alia quaecunque ecclesiastica ornamenta pro eadem ecclesia necessaria et opportuna disponere et ordinare teneantur, sine et absque saepedicti domini abbatis et conventus ipsorumque successorum praejudicio, damno et gravamine. Demum discreto in Christo nobis dilecto Johanni Oswald presbytero coram nobis personaliter constituto et id humiliter flexis genibus petenti, supradictam novellam parochialem ecclesiam, ut praefertur, erectam in Dei nomine more solito contulimus ipsumque per libri traditionem investivimus, per praesentes curam animarum incolarum et inhabitatorum dictae villae Busenberg eidem committendo, prout et quemadmodum in certis nostris aliisque literis desuper confectis latius continetur. In quorum testimonium sigillum officii vicariatus praesentibus est appensum. Datum et actum Spirae die mercurii, sexta mensis octobris, anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo. — Johannes Ritter notarius subscripsit.

---

224. *Ludwig bischof zu Speyer unterwirft die abtei Odenheim dem Bursfelder vereine. Odenheim,* 1491 *märz* 11.

Ludovicus Dei gratia episcopus Spirensis, tenore praesentium recognoscimus et profitemur publice, quod nos ad reformationem monasterii in Odenheim ordinis sancti Benedicti, nostrae dioecesis, pridie per reverendos patres praetacti or-

Digitized by Google

dinis de observantia Bursfeldensium factam, quodque abbas et conventus praedicti monasterii praesentes et futuri unioni ejusdem reformationis deinceps et in perpetuum subesse debeant et possint, obediantque in omnibus et singulis statutis et statuendis ejusdem reformationis et capituli annalis modo et forma consuetis, nostrum expressum dedimus consensum et assensum, consentimus et assentimus ita praesentis scripti vigore, salvis tamen in omnibus et pro omni tempore juribus ecclesiae nostrae Spirensis in spiritualibus et temporalibus, quae eadem ecclesia nostra et pro tempore existentes episcopi Spirenses in eodem monasterio Odenheim et extra in villis et bonis ejusdem habent et habere debent. In cujus rei fidem sigillum nostrum hiis literis est appensum. Datum in praedicto monasterio Odenheim, ubi tunc praedictae reformationi praesentes cooperabamur, undecima die mensis martii, anno dominicae incarnationis millesimo quadringentesimo nonagesimo primo.

---

225. *Berthold erzbischof zu Mainz bestätiget und vermehret die der St. Anna capelle auf der Ebernburg verliehenen ablässe. Mainz.* 1491 *dec.* 18.

Bertholdus Dei gratia sanctae Moguntinae sedis archiepiscopus, sacri Romani imperii per Germaniam archicancellarius ac princeps elector, universis et singulis praesentes nostras literas inspecturis, lecturis sive audituris salutem in Domino sempiternam. Literas reverendissimorum in Christo patrum et dominorum, Roderici Portuensis, Oliverii Sabinensis, Juliani Ostiensis, Johannis Penestrini, Johannis Michaelis Albanensis episcoporum, Georgii tituli sanctae Mariae in Transtiberin . . ., . . . niri tituli sancti Crisogoni, Johannis Jacobi tituli sancti Stephani, in Coliomonte presbiterorum, Raphael sancti Georgii ad Velum aureum et Johannis sanctae Mariae in Aquiro diaconorum miseratione divina sacrosanctae Romanae ecclesiae cardinalium, eorum sigillis solito more sigillatas primoque, ut apparebat, adspectu omni prorsus vitio et suspitione carentes, continentes concessionem indulgentiarum favore altaris sanctae Annae in capella castri Ebernburgk nostrae dioecesis factam, prout modus dictarum indulgentiarum in praefatis literis est expressus, quarum data est sub anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo primo, die vero vicesima prima mensis maji, pontifiatus sanctissimi

Digitized by Google

in Christo patris et domini nostri, domini Innocentii, divina providentia papae octavi anno septimo, reverentia qua decuit, recepimus. Unde nobis fuit humiliter supplicatum, ut dictas indulgentias admittere, approbare et praeterea pro cumulatiori remissione et gratia consequenda indulgentias ordinariae potestatis jure adjicere dignaremur. Nos igitur justis supplicum votis annuere volentes praefatas indulgentias admisimus, ratificavimus et approbavimus, admittimus, ratificamus et approbamus per praesentes. Et propterea gratiam praedictam amplificare volentes, de omnipotentis Dei misericordia et sancti Martini, patroni nostri meritis confisi, omnibus et singulis Christi fidelibus utriusque sexus vere poenitentibus, confessis et contritis, visitantibus dictam capellam temporibus in dictis literis expressis opemque conferentibus, quadraginta dies indulgentiarum de injunctis eis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus, praesentibus perpetuo duraturis. Datae apud arcem sancti Martini in civitate nostra Moguntina, sub sigillo nostro die decima octava mensis decembris, anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo primo. De mandato domini Jo. Kronberger secretarius scripsit. Coll. Georg Gryecker.

---

226. *Georg von Gemmingen domprobst zu Speyer giebt weisung, den neuen caplan zu unserer Liebenfrau in Rechtenbach in sein amt einzuführen.* 1492 *sept.* 22.

Georgius de Gemyngen, juris utriusque doctor, praepositus ecclesiae Spirensis, in Christo nobis decano capituli sedis ruralis in Wissemburg, Spirensis dioecesis, et aliis, quorum interest, salutem in Domino. Noveritis, quod pridem capellania altaris Mariae virginis gloriosae ecclesiae seu capellae in Rechtenbach, nostri archidiaconatus, per mortem quondam honorabilis viri, domini Johannis Meckenbach, novissimi illius, dum vixit, possessoris extra Romanam curiam et in partibus defuncti, vacante, nos honorabilem virum, dominum Macharium Pannitonsoris presbyterum, nobis per religiosum virum, fratrem Wilhelmum Fyx, priorem, nec non vicarium reverendi patris, domini Heinrici, abbatis monasterii sanctorum Petri et Pauli apostolorum Wissemburgensis, ordinis sancti Benedicti dictae dioecesis ad praesens in Romana curia existentis, ad quem collatio seu jus praesentandi ad eandem, dum vacat, pleno jure pertinere dinoscitur, legitime

Digitized by Google

praesentatum debito promulgationis edicto per nos primitus emisso in contermino, dum nullus coram compareret contradictor sive oppositor, recepto primitus ab honorabili viro, magistro Jacobo Fussel, ecclesiae sanctae Trinitatis Spirensis vicario, nec non ipsius praesentati procuratore, prout et quemadmodum de suae procurationis mandato nobis legitimo existit facta fides tam obedientiae, quam alias solito et consueto, juramento, per libri traditionem investivimus et instituimus ac praesentibus investimus et instituimus ad eandem. Quare vobis decano praedicto in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatenus accedatis, ubi fuerit accedendum, et memoratum Macherium Pannitonsoris auctoritate nostra, ut praemittitur, investitum vel procuratorem suum pro eo et ejus nomine populo pro vero altaris beatae Mariae virginis praefati capellano publicetur, inducentes ipsum vel procuratorem suum praefatum in corporalem, realem, actualem capellaniae hujusmodi juriumque et pertinentiarum omnium ejusdem possessionum ac facientes sibi de universis et singulis capellaniae hujusmodi fructibus, redditibus et proventibus ab hiis, quorum interest, responderi ac ab omnibus reverentiam et honorem decentes exhiberi, nec non a vestri capituli confratribus in confratrem recipi et concapitularem, adhibitis sollempnitatibus in hiis fieri consuetis. In quorum fidem sigillum nostrum praesentibus est appensum. Datum anno Domini (MCCCC) nonagesimo secundo, die vicesima secunda mensis septembris.

---

227. *Philipp von Rosenberg generalvicar des bischofes Ludwig zu Speyer ordnet den pfarrgehalt zu Rheingönheim. Speyer,* 1494 *jan.* 8.

Philippus de Rosenberg, decretorum doctor, canonicus majoris, nec non praepositus sanctorum Germani et Mauritii, Spirensium ecclesiarum reverendique in Christo patris et domini, domini Ludovici episcopi Spirensis in spiritualibus vicarius generalis, ad infrascripta specialiter deputatus. Recognoscimus et ad universorum, quorum interest, notitiam deducimus et deduci volumus per praesentes, quod comparentibus coram nobis, Spirae in curia habitationis nostrae solitae residentibus, honorabilibus et religioso in Christo nobis dilectis, fratre Joanne Gilfelt, priore monasterii Hemmenrodensis, reverendi patris, domini Joannis abbatis et conventus ejusdem

Digitized by Google

monasterii Hemmenrodensis, ordinis Cisterciensis, Trevirensis dioecesis, syndico et procuratore, prout de suo syndicationis et procurationis mandato nobis legitima existat facta fides et eo nomine syndicatorio et procuratorio ex una et Joanne Mussaug, plebano ecclesiae parochialis in Ryngenheym de et super competentia seu congrua portione eidem plebano assignanda et illorum occasione ex altera partibus, jam dictus dominus Joannes plebanus fatebatur, se habere ab ecclesia parochiali praedicta, primo a praelibatis dominis in Hemmenrode pastoribus et collatoribus viginti quatuor maldra siliginis. Item undecim maldra siliginis ex libro animarum, de quibus in recompensam et defalcationem certarum expensarum per nos dicto domino Joanni et suis successoribus sex maldra et reliqua quinque dictis pastoribus in subsidium competentiae sunt assignata et deputata. Item sex maldra siliginis a custodibus agrorum, in quorum possessione levandi et percipiendi hucusque fuerint. Item tertiam partem decimae minutae, quam ipse plebanus aestimavit ad octo florenos. Item quatuor offertoria, quae idem plebanus aestimavit pro duobus talentis denariorum, quae omnia aestimata extendunt se ad summam viginti septem florenorum cum dimidio et ultra jam expressa se nichil habere dicebat de ecclesia sua praedicta. Quare petiit de bonis datis, ut asseruit, decem maldra siliginis unacum quadam alia pecuniarum summa per eum expressa ad arbitrium suum et dictamen nostrum sibi suisque successoribus pro competentia seu congrua portione auctoritate nostra ordinaria per nos deputari et assignari. Nos tunc vicarius memoratus auditis praefati plebani petitionibus, nec non praelibati syndici et procuratoris responsionibus consideratisque ac pensatis per nos dictae plebaniae oneribus et redditibus praefato Joanni plebano moderno suisque successoribus pro tempore existentibus supra et ultra praedictos fructus, redditus et proventus per plebanum, ut praefertur, expressatos, tam pro dictis decem maldris siliginis de bonis dotis, quam aliis per eum petitis juxta nostram moderationem sex florenos Rhenenses singulis annis pro competentia seu congrua portione dicto plebano suisque successoribus per praefatos dominos pastores infra duo festa beatae Mariae virginis assumptionis videlicet et nativitatis solvendos, auctoritate nostra ordinaria deputavimus et assignamus. Item debent et tenentur praefati domini pastores horreum et stabula plebaniae desolata suis sumptibus et ex-

Digitized by Google

pensis funditus reaedificare, nec non domum plebaniae, ubi necesse foret, renovare seu reaedificare et renovari facere juxta dictamen et discretionem honestorum virorum per nos deputandorum. Quibus quidem domo, stabulis ac horreo, sic ut praemittitur reaedificatis et renovatis, praefatus dominus Joannes, plebanus modernus, suique successores domum, horreum et stabula hujusmodi in debita structura de caetero tenere debebunt juxta morem et consuetudinem illius patriae, exclusis sepibus curiae, de quibus restaurandis aut reaedificandis plebanus se nullo modo intromittere voluit. Quam quidem competentiam per nos, ut praefertur, assignatam praelibati domini, frater Joannes Gilfelt, syndicus et procurator, suo proprio reverendique patris, domini abbatis et conventus praedictorum nominibus, nec non Joannes Mussaug plebanus pro se suisque successoribus ibidem praesentes et audientes acceptarunt, laudaverunt et approbarunt ipseque plebanus modernus suique successores pro tempore existentes de et cum competentia hujusmodi sibi per nos, ut praemittitur, assignata contenti et totaliter expediti esse debeant et teneantur, neque praefatos dominos pastores supra vel ultra praemissa occasione competentiae quocunque modo impetere sive molestare debebunt. In quorum testimonium sigillum officii nostri vicariatus praesentibus est appensum. Datum et actum Spirae die mercurii octava mensis januarii sub anno a nativitate Domini MCCCCXC quarto.

---

228. *Alexander VI. pabst verändert die abtei Odenheim in ein weltliches chorstift. Rom.* 1494 *nov.* 12.

Alexander episcopus, servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. In supereminentis apostolicae dignitatis specula superna dispositione constituti ecclesiarum et monasteriorum omnium statum et conditionem diligenter inspicientes et eorum dispendiis occurrere ac honori et utilitati providere satagentes, illorum ac in eis altissimo famulantium personarum normam interdum cogimur commutare in melius, regularem et monasticum statum in ipsis nonnunquam extinguendo, prout ad divini cultus augmentum ac bonorum illorum a perversorum insultibus defensionem et conversationem ac pro ecclesiarum earundem decore et venustate id in Domino conspicimus salubriter expedire. Sane pro parte carissimi in Christo filii Maximiliani, Romanorum regis illustris, et dilectorum filiorum Christophori abbatis et conventus mo-

Digitized by Google

nasterii sanctorum Petri et Pauli in Odenheim, ordinis sancti Benedicti, Spirensis dioecesis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet monasterium ipsum ab ejus primaeva fundatione sumptuoso opere constructum et aedificatum ac bonis temporalibus et annuis redditibus sufficienter dotatum, in eo quoque copiosus numerus monachorum institutus fuisset, tamen causantibus diversis temporum sinistris eventibus ac maximis molestationibus et perturbationibus ipsis illatis, abbas et conventus praefati in bonis temporalibus dicti monasterii non modicam jacturam passi fuerint et in futurum majorem pati formidant, verum si monasterium ipsum, suppressis et extinctis penitus in eo abbatiali dignitate et ordine ac omnibus et singulis prioratibus et officiis monasterii hujusmodi, in saecularem collegiatam ecclesiam erigeretur et in sic erecta ecclesia quinque dignitates et duodecim canonicatus et totidem praebendae pro totidem canonicis saecularibus, nec non juxta competentiam fructuum, redditum et proventuum ejusdem monasterii aliquae perpetuae sine cura vicariae sive capellaniae pro nonnullis perpetuis vicariis seu capellanis ibidem altissimo famulaturis instituerentur, ex hoc profecto statui et indemnitati dicti monasterii ac ejus subditorum opportune consuleretur divinusque cultus inibi non modicum susciperet incrementum et fidelium devotio ad ipsam tunc erectam ecclesiam confluentium non parum augeretur ac dignitates, canonicatus et praebendas inibi obtinentes aliaeque ecclesiasticae personae saeculares melius et commodius, quam monachi et religiosae personae necessitatibus ipsius ecclesiae subvenire illiusque privilegia et jura ac bona ab adversantium calumniis et insultibus tueri et defendere possent. Quare pro parte Maximiliani regis ac abbatis et conventus praedictorum nobis fuit humiliter maxima cum instantia iteratis vicibus supplicatum, ut in monasterio praedicto abbatialem dignitatem, prioratum et monachialem statum conventualitatemque ac ordinem hujusmodi perpetuo penitus supprimere et extinguere ipsumque monasterium in saecularem et collegiatam ecclesiam cum sigillo, archa, mensa, bursa communi ac omnibus et singulis insigniis collegialibus ad instar aliarum ecclesiarum collegiatarum civitatis Spirensis et dictae dioecesis erigere, nec non Christophorum abbatem, priorem et monachos tacite vel expresse professos dicti monasterii, quorum nomina et cognomina inferius sunt descripta, a statu monachali et ejus habitus gestatione absolvere et in

Digitized by Google

eadem ecclesia quinque dignitates ac duodecim canonicatus et totidem praebendas cum aliquibus perpetuis sine cura vicariis sive capellanis instituere aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia volumus, quod petentes, beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum valorem secundum communem aestimationem tam beneficii uniendi, quam illius, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret ac semper in unionibus commissio fieret ad partes vocatas, quorum interesset, quique in ecclesiis singulis divinum cultum vigere et augere illarumque bona a noxiis praeservari ac manuteneri et conservari nostris potissime temporibus intensis desideriis affectamus, diversorum Romanorum pontificum, praedecessorum nostrorum, qui etiam similia juxta rerum exigentiam concesserunt, vestigiis inhaerentes, hujusmodi supplicationibus, praesertim praefati regis id maxime exoptantis, instantissimis inclinati, in monasterio praedicto abbatialem dignitatem, prioratum et monachialem statum conventualitatemque et ordinem ac omnia et singula in dicto monasterio, nec non quaecunque beneficia et officia ejusdem monasterii tam in eo existentium, quam ab illo dependentium regularia, auctoritate apostolica et ex certa scientia ac de apostolica potestatis plenitudine, tenore praesentium perpetuo penitus supprimimus et extinguimus ac ad laudem omnipotentis Dei ejusque genitricis, virginis Mariae totiusque militantis ecclesiae exaltationem monasterium ipsum in saecularem ac collegiatam ecclesiam cum archa, mensa, bursa communi, sigillo de cera rubea ac omnibus et singulis insigniis collegialibus ad instar aliarum ecclesiarum collegiatarum saecularium civitatis et dioecesis praedictarum, ac in ipsa ecclesia quinque dignitates, quarum una praepositura, quae inibi principalis existat, et secunda decanatus, ac tertia scolastia, quarta vero cantoria ac quinta custodia nuncupentur et quod praepositus inibi caput aliorum existat ac tam in choro, quam in capitulo processionibus, locis et actibus aliis caeteris praesit et primum et digniorem locum obtineat, decanus vero secundum teneat locum et in choro et in capitulo correctionem et alia facere habeat, quae aliarum ecclesiarum collegiatarum civitatis et dioecesis praedictarum decani habere et facere consueverunt. Nec non duodecim canonicatus et totidem praebendas pro duodecim canonicis, qui simul cum obtinentibus pro tempore dignitates praedictas

Digitized by Google

capitulum ipsius ecclesiae faciant et constituant, ejusdem auctoritate et scientia erigimus ac Christophorum olim abbatem et priorem atque omnes ac singulos monachos dicti monasterii ordinem ipsum tacite vel expresse professos, quorum nomina et negotia infra descripta sunt, ut praefertur, a delatione regularis habitus et regularibus ceremoniis dicti ordinis ac statu monachali, tribus substantialibus votis, per eos tacite vel expresse emissis, omnino firmis remanentibus, penitus absolvimus ac cum ipsis ut deinceps in habitu saecularium clericorum incedere et habitum saecularium canonicorum gestare et illis se in omnibus conformare ac ut quaecunque, quotcunque et qualiacunque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura se alias invicem compatientes, etiam si canonicatus et praebendae dignitates, personatus, administrationes vel officia in cathedralibus etiam metropolitanis vel collegiatis et dignitates ipsae in cathedralibus etiam metropolitanis post pontificales majores aut in collegiatis ecclesiis hujusmodi principales fuerint et ad illos, illas vel illa consueverint, qui per electionem assumi eisque cura imminet animarum alias canonice obtinenda, habiles et capaces habeantur sintque et esse censeantur, dicta auctoritate dispensamus. Et nihilominus dictae sic erectae ecclesiae pro illius ac dignitatum, canonicatuum et praebendarum praedictarum, nec non perpetuarum vicariarum seu capellaniarum dote omnia et singula, ecclesias, decimas, praeposituras regulares, prioratus, dignitates, officia caeteraque cum cura et sine cura regularia et saecularia beneficia et loca ecclesiastica dicto olim monasterio unita, annexa et incorporata, quorum nomina et cognomina, vocabula et qualitates illorumque ac olim dicti monasterii et mensae capitularis dictae erectae ecclesiae fructuum, reddituum et proventuum veros annuos valores praesentibus haberi volumus pro expressis, cum omnibus juribus et pertinentiis suis eidem erectae ecclesiae perpetuo unimus, annectimus, applicamus et incorporamus, ita quod liceat praeposito, decano et capitulo ecclesiarum praefatarum, prioratuum, praepositurarum, beneficiorum et locorum juriumque et pertinentiarum praedictarum corporalem possessionem per se vel alium seu alios propria auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere illorumque fructus, redditus et proventus in suos et ecclesiae ac mensae praedictarum usus et utilitatem convertere, dioecesanorum locorum et quorumcunque aliorum licentia super hoc minime requisita. Et ut circa

Digitized by Google

hujusmodi personarum dignitates ac canonicatus et praebendas in dicta ecclesia pro tempore obtinentium, modus conveniens et honestus observetur, auctoritate praefata statuimus et ordinamus, quod praepositus, decanus, scolasticus, cantor et custos de pellibus variis, canonici vero et capellani seu vicarii ejusdem ecclesiae, qui pro tempore fuerint, de asperiolis almutias ad instar aliarum collegiatarum ecclesiarum civitatis et dioecesis praedictarum deferre valeant ac alias moribus et ritibus majoris ecclesiae Spirensis in divinis se conformare debeant et teneantur, quodque praepositus ratione praepositurae suae una cum distributionibus quotidianis et aliis capitularibus emolumentis et decanus duplicem, scolasticus vero, cantor et custos et quilibet videlicet canonicorum ratione canonicatus, integrum corpus praebendae seu integram praebendam et ultra hoc ratione dignitatis suae mediam praebendam cum distributionibus praedictis, praefatus quoque praepositus ultra portionem suam praebendalem hujusmodi quadringentos florenos Rhenenses super omnibus et singulis fructibus, redditibus et proventibus beneficiorum unitorum hujusmodi annuatim respective percipiat et percipere debeat. Ac omnia et singula temporalia feuda ac beneficia ecclesiastica quaecunque cum cura et sine cura ad collationem et concessionem abbatis et conventus praedictorum spectantia et pertinentia, cujuscunque qualitatis aut conditionis existant, nec non omnes et singuli fructus, redditus et proventus, jura, libertates ac spiritualia et temporalia privilegia, dudum a Romanis pontificibus, praedecessoribus nostris ac imperatoribus, regibus et aliis quaelibet concessa, ad erectam ecclesiam hujusmodi perpetue spectent et pertineant ac illi suffragentur ac quaecunque feuda et homagia tam mobilia quam castrensia, plebeja et emphiteotetica aliaque jura et bona temporalia dicto olim monasterio, nunc vero eidem erectae ecclesiae spectantia et quae forsan in posterum per eandem ecclesiam acquiri aut illi donari vel concedi contigerit, a praeposito pro tempore existenti dictae ecclesiae, quemadmodum ab abbate dicti olim monasterii recognoscebant, a quibuscunque personis, cujuscunque dignitatis, status, gradus, praeeminentiae, excellentiae vel nobilitatis existant, de caetero futuris perpetuis temporibus recognoscantur et suscipiantur. Emolumenta vero et jura capitularia ad capitulares duntaxat personas pertineant, quodque ut dignitates ac canonicatus et praebendae praedictae per tales personas obtineantur, per quarum solertiam et

Digitized by Google

diligentiam jura et bona ipsius ecclesiae in spiritualibus et temporalibus illaesa conservari possint. Nullus ad dignitates praedictas ac decem ex canonicatibus et totidem praebendis dictae ecclesiae erectae, nisi de nobili seu militari genere ex utroque parente procreatus ac ad reliquos duos canonicatus et praebendas dictae ecclesiae assumi vel recipi possit, nisi in theologia aut in utroque vel in altero jurium doctor sive licenciatus existat. Collationes quoque, receptiones et provisiones alias de illis etiam per sedem praedictam pro tempore factae nullius existant roboris vel monumenti. Praeterea praeposito pro tempore existenti dictae erectae ecclesiae ut mitra, baculo pastorali, annulo et aliis pontificalibus insigniis intra et extra erectam ecclesiam ac alias ubilibet uti ac post missarum, vesperarum et matutinarum sollemnia, benedictionem sollemnem, dummodo aliquis antistes aut dictae sedis legatus praesens non fuerit, elargiri, alias prout abbates dicti monasterii, qui hactenus fuerunt, facere consueverunt, libere et licite valeat, ac omnibus et singulis personis ecclesiae sic erectae, quod de caetero in dicta ecclesia horas canonicas secundum morem Romanae curiae dicere et recitare possint et si noluerint, non teneantur ad morem vel ordinem alium super hiis observandum, dicta auctoritate indulgemus. Statuentes etiam pariter et ordinantes, quod electio praepositi ac collationes, provisiones et dispositiones aliarum dignitatum, canonicatuum, praebendarum dictae ecclesiae perpetuis futuris temporibus ad sedem apostolicam ac decanum et capitulum praefatas, alias juxta concordata inter Romanam ecclesiam et nationem Germanicam spectent, ita tamen, quod electio dicti praepositi per sedem praedictam duntaxat confirmari debeat, capellaniarum autem seu vicariarum in eadem erecta ecclesia instituendarum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum quorumcunque cum cura vel sine cura, quorum collatio seu provisio ad ipsum olim abbatem pertinebat, in posterum ad sedem praedictam ac collationem praepositi ipsius erectae ecclesiae, sic pro tempore existentis, juxta hujusmodi concordata volumus pertinere, salvo etiam jure perpetuae seu irrevocabilis advocatiae specialisque protectionis et defensionis dictae ecclesiae erectae illiusque vasallorum hujusmodi et bonorum praesentium et futurorum, quae eodem modo ad eos patronos seu advocatos laicos spectent et pertineant, ad quos ante erectionem hujusmodi canonice pertinuerunt et pertinere consueverunt, vel quod prae-

Digitized by Google

positus et capitulum valeant et debeant defensorem seu advocatum in temporalibus libere eligere juxta privilegia et indulta Romanorum imperatorum et regum, olim praedicto monasterio in ejus dotationis fundatione aut alias quolibet concessa. Et insuper, ut praefata erecta ecclesia felicibus continue proficiat incrementis et in rebus et in negotiis ecclesiasticis debitus ordo in illa observetur, eisdem praeposito, decano et capitulo ipsius erectae ecclesiae quaecunque statuta et ordinationes salubria et honesta, sacris canonibus non contraria, pro felici statu et salubri directione ipsius ecclesiae et illius personarum, prout expedire videntur, faciendi et edendi, quae ab omnibus observari debeant, nec non aliquas perpetuas capellanias seu vicarias, prout inspecto valore fructuum, reddituum et proventuum ipsius ecclesiae et unitorum beneficiorum praedictorum eis visum fuerit, auctoritate nostra erigendi eisque ex eisdem fructibus, redditibus et proventibus dotem convenientem assignandi, plenam et liberam auctoritate praedicta concedimus facultatem. Et nichilominus dilectis filiis sancti Nicolai in Canberg Herbipolensis et praeposito et vallis Wimpensis et sancti Spiritus Heidelbergensis decanis Wormatiensis dioecesis ecclesiarum, per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios praesentes literas ac omnia et singula in eis contenta, ubi et quando expedierit ac quotiens pro parte praepositi et capituli dictae erectae ecclesiae fuerint super hoc requisiti, sollemniter publicantes ac eisdem praeposito, decano et capitulo, canonicis et vicariis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentiam faciant, dicta auctoritate nostra omnia et singula in eisdem literis contenta inviolabiliter observari, non permittentes eosdem praepositum, decanum et capitulum contra earundem literarum tenorem per quoscunque quomodolibet impediri seu etiam molestari, impedientes et molestatores, nec non contradictores quoslibet et rebelles cujuscunque dignitatis, status, gradus, nobilitatis, praeeminentiae vel excellentiae per censuram ecclesiasticam ac alia juris remedia appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Caeterum eisdem praeposito, decano et capitulo omnia et singula jura, res et bona mobilia et immobilia, olim per abbates quoscunque, sub quibusvis verborum formis obligatas et obligata, hypothecatas et hypothecata, redimendi illasque et illa ad praefatam erectam ecclesiam absque quorumcunque

Digitized by Google

impedimento et contradictione reintegrandi et recuperandi, prout olim abbas et monachi praefati facere potuissent, ipsisque executoribus praepositurarn praedictam praefato Christophoro moderno abbati et cujus favore et industria jura ipsius erectae ecclesiae conservari et a noxiis praeservari poterunt ac decanatum et alias dignitates, nec non duodecim canonicatus et totidem praebendas personis infrascriptis ac erigendas capellanias seu vicarias ab eorum primaeva erectione et institutione hujusmodi vacantes, etiam aliis personis idoneis, etiam ex monachis dicti monasterii existentibus, per ipsos executores vel duos aut unum eorum nominandis, etiam quaecunque, quotcunque et qualiacunque beneficia ecclesiastica obtinentibus et exspectantibus, quae omnia et singula cum cura et sine cura saecularia et ordinum quorumvis regularia eorumque fructuum, reddituum et proventuum veros annuos valores ac dispensationem, ex quibus illa forsan obtinentur, tenores praesentibus haberi volumus pro expressis cum plenitudine juris canonici ac omnibus juribus et pertinentiis suis auctoritate nostra praedicta hac prima vice conferendi, inducendi quoque Christophorum, recepto prius ab eo nostro et ejusdem Romanae ecclesiae nomine fidelitatis debitae juxta formam, quam sub bulla nostra mittimus introclusam, solito juramento in praepositurarn et in decanatum singulasque alias personas praedictas vel procuratores suos eorum nominibus singulatis aliarum dignitatum, canonicatuum et praebendarum ac capellaniarum seu vicariarum juriumque et pertinentiarum praedictorum et defendendi inductos ac faciendi ad praebendas in dicta ecclesia in canonicum recipi et in fratrem stallo eis in choro et loco in capitulo ipsius ecclesiae cum dicti juris plenitudine assignatis, nec non ad praepositurarn et ad decanatum ac alias dignitates et vicarias seu capellanias hujusmodi, ut est moris, admitti ipsisque singulis respective de praeposituras et decanatus ac aliarum dignitatum, nec non canonicatuum et praebendarum ac vicariarum seu capellaniarum hujusmodi fructibus, redditibus, proventibus, juribus et obventionibus universis juxta divisionem appellationum et ordinationum per eos circa hoc faciendas integre responderi faciendi etiam plenam et liberam harum serie concedimus facultatem, contradictores simili auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, non obstantibus voluntate nostra praedicta ac felicis recordationis Alexandri papae quarti, praedecessoris nostri, qui incipit: „Ut abbates" et aliis con-

Digitized by Google

stitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis quoque et consuetudinibus olim monasterii et ordinis praedictorum juramento confirmationis apostolicae vel quavis firmitate alia roboratis contrariis quibuscunque, aut si venerabili fratri nostro, episcopo Spirensi vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur et ad id compelli aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem et qualibet alia dictae sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscunque tenoris existat, per quam praesentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quolibet vel differri et de qua cujusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis. Nomina vero illorum, quibus dignitates ac canonicatus et praebendae praedicti conferri debent, sunt haec: videlicet Valentinus Lesch, cui decanatus, Cuno de Bellersheim, cui scolasticia, Melchior de Nyppemburg, cui cantoria, Johannes de Buchis, cui custodia, Delbolt etiam de Buchis, Thomas de Obermulstat, Adamus de Hauchenheim, Martinus etiam de Nyppemburg, Philippus Wyler, Georgius de Schwalbach, Ludovicus de Lamersheim et Johannes de Gultlingen, quibus singuli ex canonicatibus et singulae ex praebendis praedictis conferrentur, dilecto vero filio Jacobo Stainhowel de Esslingen, scolari Constantiensis dioecesis, qui capituli et praedictorum procurator in negotiis eorum erit, prout hactenus fuit, ac in ipsa erecta ecclesia circa multa etiam divinum cultum concernentia deserviet, quamdiu vixerit, pro ejus sustentatione sexaginta floreni Rhenenses annis singulis in festo sancti Martini per capitulum praefatum persolvendos dicta auctoritate apostolica, si tamen ad hoc praepositi et capituli praedictorum expressus accesserit assensus, prout ipse Jacobus asserit, accedere concedimus et assignamus, non obstantibus omnibus supradictis. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae suppressionis, extinctionis, erectionis, unionis, annexionis, applicationis, incorporationis, statuti, ordinationis, concessionis, voluntatis, indulti, mandati et assignationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum, anno incarnationis dominicae

Digitized by Google

millesimo quadringentesimo nonagesimo quarto, pridie idus novembris, pontificatus nostri anno tertio.

---

229. *Peter Rudlis abt von Rodenkirchen präsentirt den Johann Tuther von Ryell auf die pfarrei Waltlaubersheim.* 1495 *aug.* 23.

Illustri principi et domino, domino Philippo, comiti palatino Rheni, Bavariae duci ac Moguntinae ecclesiae praeposito, seu ejus officiali ac locum tenenti, Petrus Rudlis, abbas monasterii Rubrensis, ordinis Praemonstratensis, Moguntinae dioeceseos, quidquid poterit honoris et reverentiae. Ad plebaniam vel ad parochialem ecclesiam sancti Martini villae Waltleybersheym, Moguntinae dioeceseos, vacantem ad praesens per liberam resignationem fratris Petri Roess de Altzeia, ejusdem dioeceseos Moguntinae, ultimi tunc ejusdem possessoris, cujus collatio seu jus praesentandi ad me pleno jure et quemlibet abbatem dictae ecclesiae monasterii Rubrensis, dum vacare contigerit, pertinere dignoscitur, honorabilem religiosum virum, dominum Johannem Tuther de Ryell, ejusdem monasterii canonicum, tanquam habilem et idoneum vobis duximus praesentandum et in Dei nomine praesentamus per praesentes. Supplicamus vobis humiliter una cum eodem praesentato, quatenus ipsum ad dictam ecclesiam parochialem instituere et de illa investire aliaque sibi, prout vestrum spectat ad officium, impendere dignaremini, adhibitis circa haec sollempnitatibus debitis et consuetis. In cujus rei testimonium sigillum abbatiae praefati monasterii est appensum. Datum anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto, die vicesima tertia mensis augusti.

---

230. *Jacob von Gochzheim, generalvicar des bischofes Ludwig zu Speyer, verlegt das kirchweihfest zu Dürkheim.* 1496 *aug.* 24.

Universis et singulis Christi fidelibus praesentibus et futuris, praesentes nostras literas inspecturis, visuris, lecturis pariter et audituris, Jacobus de Gochtzheim, decretorum licentiatus, canonicus ecclesiae sanctorum Germani et Mauritii Spirensis, reverendi in Christo patris et domini, domini Ludovici episcopi Spirensis in spiritualibus vicarius generalis, ad infrascripta specialiter deputatus, salutem in Domino sempiternam. Ex injuncti nobis officii benignitate piis supplicum votis,

Digitized by Google

illis praesertim, per quae Christi fidelium praelibato domino nostro subjectorum nedum animarum saluti, verum etiam personarum et corporum commoditati pro divinis audiendis et aliis consulitur, libenter annuimus eaque fervoribus prosequimur opportunis. Sane siquidem pro parte honestorum in Christo nobis dilectorum, plebani, juratorum ecclesiae parochialis sancti Johannis baptistae atque communitatis oppidi Durckheym, Spirensis dioecesis, nobis oblatae petitionis series continebat, quod licet dedicatio jam dictae ecclesiae parochialis olim usque nunc singulis annis ipso die decollationis ejusdem sancti Johannis baptistae communiter tenta et celebrata sit, tamen quia dicta dies decollationis sancti Johannis per dioecesim Spirensem praedictam et praesertim in dicto loco Durckheym aliisque locis circumvicinis sollempniter celebrari minime consueverit, quapropter communis populus dicti loci, nec non aliorum locorum et villarum circumjacentium artibus mechanicis et campestribus onerati laboribus nimius convenienter dicta die divinis officiis et dedicationi hujusmodi interesse atque sollempnisationi attendere seque indulgentiarum a diversis summis Romanorum pontificibus et cardinalibus in et ad dictam ecclesiam parochialem concessarum et per praefatum reverendum dominum nostrum episcopum Spirensem confirmatarum participem facere commode se minime possit aut valeat et signanter populus circumvicinus. Quamobrem nobis humiliter supplicatum est, quatenus propter praemissas et certas alias rationabiles causas nobis expositas praetactam dedicationem et ejus sollempnisationis diem in et ad aliquam aliam commodiorem et competentiorem diem, videlicet dominicam proximam ante dictum festum decollationis sancti Johannis baptistae singulis annis in antea immutare dignaremur. Nos igitur vicarius memoratus dictorum supplicantium precibus tanquam justis et venerabilibus non immerito inclinati, praetactis et aliis honorabilibus de causis nobis expositis, animum nostrum ad hoc moventibus, supradictam dedicationem ecclesiae parochialis in Durckheym, ut praefertur, hucusque ipso die decollationis sancti Johannis baptistae tentam et obsternatam, cum omnibus et singulis indulgentiis, honoribus, privilegiis et sollempnitatibus in antea singulis annis dominica proxima ante dictum festum sancti Johannis, quemadmodum in eodem festo seu die decollationis sancti Johannis peragi et celebrari solebat, peragendam et celebrandam immutamus illamque inibi

Digitized by Google

ut sic more solito sollempnisandam fore decrevimus atque tenere volumus et mandamus, prout immutamus, decrevimus et mandamus per praesentes. Et insuper ex uberioris dono gratiae de omnipotentis Dei gratia et misericordia ejusque gloriosissimae virginis Mariae, nec non beatorum Petri et Pauli apostolorum meritis et auctoritate confisi, omnibus et singulis Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui supradictam ecclesiam in die dedicationis, ut praemittitur, instituta devote visitaverint aut pro ornamentis eidem ecclesiae seu fabricae donaverint vel contribuerint, totiens quotiens quadraginta dies indulgentiarum de injunctis eis poenitentiis auctoritate dicti domini nostri episcopi Spirensis nobis commissa et qua fungimur in hac parte, misericorditer in Domino relaxamus, salvo tamen, quod dicta die decollationis sancti Johannis baptistae missa do eodem sancto Johanne sollempniter celebretur praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. In quorum fidem et testimonium praemissorum sigillum officii nostri praesentibus est subappensum, sub anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto, die vero Jovis vicesima quarta mensis augusti.

---

231. *Johann von Oberndorf prior auf dem donnersberge übernimmt die verpflichtung, messe in der burgcapelle Falkenstein lesen zu lassen.* 1499 *sept.* 9.

Ich bruder Johann von Oberndorff, prior, vnd der ganz convent gemenlich des cloisters vff dem Donrsberg, sant Paulus ordens des ersten eynsidels, bekennen vns vfflich mit dissem brieff vnd thon kont allermenglichs, dass wir vor vns vnd vnser nachkommende den woilgeborne junckern, juncker Melchior von Dhune, hern zu Falkenstein vnd zu Oberstein, vnserm gnedigen junckern vnd siner gnaden erben by druwen vnd glauben zugesagt vnd versprochen haben, thon auch das in crafft diss brieffs vmb dess nutz vnd belonnss willen, so vns do von kommen ist vnd hinfurters komen soil vnd mag, ein ewichlichen wochen messe in syner gnaden capellen sant Catharin vor der burg zu Falkensteyn durch eyn vnser convents priester eyns jeglichen samsstag in der wochen gelegen von vnsre lieben frauwen annuntiation belesen zu lassen vnd halten sollen vnd wollen nach lut vnd inhalt eyns versigelten brieffs, den wir des halp vnd dar vber von syne gnaden inhaben, der von wort zu wort her inbegriffen

Digitized by Google

vnd also ludende ist: Wir Melchior von Dhune, herr zu Falkensteyn vnd zu Obersteyn, dun kunt vnd bekennen vffentlichen vor vns vnd vnser erben mit dissem brieff, dass wir dem allmechtigen Got vnd auch der hiemelschen konigin, syner hochgelopten lieben mutter Marien vnd allen hiemelschen here zu lop vnd zu ere eyn ewiglich wochen messe von vnser lieben frauwen annuntiatione, vff eyn jeglichen samsstag in der wochen in vnser cappellen der heylligen juncfrauw sant Catherine, vor vnser burg zu Falkensteyn gelegen, zu lesen verordnet, bestallt vnd vns des mit den ersamen vnd geystlichen heren, Johan prior vnd dem gantzen convent gemeynlichen des closters vff dem Donrsberg sant Paulus ordens im Mentzer bisthum, vertragen haben also, dass sie durche ire convents priester eyn soliche obbestimte messe vff eyn jeglichen samsstag in der wochen sonder alle seumnis vnd one alle geverde ewiglichen lesen vnd volbringen sollen, es were dan, dass so groiss vngewitter von frost, schne oder regen dess samsstag were, so solt dass vff eyn andern tag in der nechsten wochen darnach der glichter erfult werden. Darumb sollen vnd wollen wir obbenanter Melchior vnd vnser erben den bestimpten herrn vnd iren nachkomen nu hinfur ewichlichen vnd eyns jeglichen jars vff sant Martins des heyligen bischoffs tag im winter gelegen, sechs malter korns thon vss rechten vnd liebern, die were sie auch selbs zu heben vff eyn vnsern schulteiss zu Vlvesheim, der zu yder zyt sin wirt, von vnser korngulten do selbs fallende vsszurichten vorwiesen haben vnd alss dan gen kircheym liebern lassen. Vorwiesen sie auch des gegenwurtiglichen vor vns vnd vnser erben mit vnd in crafft diss brieffs der maiss vnder scheydlich, want vnd welich zyt wir oder vnser erben den vorbenannten prior vnd convent oder iren nachkommenden im jar sechzig rinischer gulden an golde oder goldes werung liebern, die sollen sie von vns entphaen vnd in dem nechsten monat darnach mit vnser oder vnser erben rait vnd wissen widder anlegen, damit sie des vor sich vnd ire nachkommende gewiss vnd sicher sin. Vnd so wir ynnen also die sechzig gulden gelibert haben, als balde sollen die obbeschriben sechs malter korns widder abe vff vns vnd vnser erben heym gefallen syn, dass sie vns auch mit genugsamen vorsorgung quytiren sollen vnd dannocht nit desto mynder die ewigliche messe, wie obsteet, von ynne gelesen vnd vollenbracht werden sonder alle seum-

Digitized by Google

nis vnd one alle geverde. Item wir sollen vnd wollen auch eym jeden priester, so soliche messe gelesen ist, in vnserm schloiss des mittags zu essen vnd zu drincken geben. Dess zu warem vrkunde haben wir obbenant Melchior vnser eygen insigel mit rechtem wissen an diesen brieff don hencken. Geben vnd gescheen vff montag nach vnser lieben frauwen tag nativitatis, im jare nach der gepurt Cristi vnsers lieben heren dusent vierhundert neunzig vnd nune. Also bekennen wir obgenannt bruder Johan prior vnd ganz convent gemynliche vor vns vnd vnser nachkomende, dass wir solichem allen, wass disser brieff inhelt, truwelichen, vffrichtig, sonder betrog, erberlich vnd one alle seumnis die ewigliche samsstag wochen messe von vnser lieben frauwen, wie obstet zu lesen, nachkommen, halten vnd vollenbringen sollen vnd wollen bey vnser priesterliche wirde vnd eren sonder alle geverde. Zu vrkunde han ich bruder Johan prior obgenant vor mich vnd den gantzen convent myn priorat insigel an dissen brieff gehangen vff tag vnd jar, wie obstet.

---

232. *Hartmann Bayer von Boppard domcapitular zu Speyer verträgt sich als pfarrer zu Waldsee mit dem dortigen pfarrverwalter wegen dessen bezüge.* 1499.

Noverint universi praesentium inspectores, quod pridem plebania ecclesiae parochialis in villa Waltzheim prope Otterstatt, Spirensis dioecesis, ex morte quondam domini Nicolai Desch, novissimi illius, dum vixit, plebani sive curati, extra Romanam curiam et in partibus defuncti, vacante, nec non honorabili viro, domino Georgio Unsslin de Ygersheim, presbytero dictae dioecesis ad eandem plebaniam auctoritate reverendi patris, domini praepositi ecclesiae Spirensis, archidiaconi loci ad praesentationem venerabilis viri, domini Hartmanni Beyer de Bopparden, canonici Spirensis, nec non pastoris dictae ecclesiae in Waltzheim, ejusdem plebaniae collatoris atque patroni, legitime investito et instituto jam fati domini, Hartmannus Beyer pastor ex una, nec non Georgius Unsslin plebanus partibus ex alia, de et super bonis ac censibus, redditibus, proventibus, obventionibus, juribus et emolumentis, quibus plebanus ipse, quamdiu in dicta plebania permanserit, pro competentia sua contentari, nec ipsum dominum pastorem pro ulteriori competentia impetere vel convenire debet, amice convenerunt atque concordarunt in hunc,

Digitized by Google

qui sequitur, modum. Inprimis namque praefatus dominus Georgius plebanus domum habitationis dictae plebaniae una cum horreo, stabulis et horto adjacentibus in esse et debita structura conservabit, domum hujusmodi cum suis pertinentiis inhabitando et utendo. Item habebit insuper idem plebanus pro sua competentia praedia bona dotis dictae ecclesiae, videlicet octuaginta jugera agrorum, quae communibus annis important triginta quatuor modios siliginis, quae quidem bona dotis plebanus ipse similiter in esse et debita cultura conservabit. Item duos modios siliginis dabit dominus pastor de decima sua singulis annis plebano. Item habebit etiam plebanus pro sua competentia quatuordecim jugera pratorum. Item quatuordecim jugera lignorum in silva, quod vulgo appellatur holtzrecht, ac duplicia jura glandium, quod vulgo dicitur zwey eichel recht. Item offertoria, quae singulis annis extendunt se ad summam octo vel novem librarum hallensium plus vel minus, secundum sub et supra. Item decimam minutam, quae communibus annis importat valorem duodecim florenorum aut plus vel minus, secundum sub et supra. Item decimam frugum infra certa septa villae Waltzheim excrescentium, pro ea portione, qua ipsius plebani immediatus antecessor illam percipere et levare consuevit et non ultra vel alio modo. Antedicta quatuordecim jugera lignorum in silva, quod vulgariter nuncupatur holtzrecht. Item decimam croci et sandicis vulgariter safran vnd kraude zehenden, tam infra, quam extra septa villae Waltzheim excrescentium, reservata tamen ipso domino pastori potestate libera atque plenaria de abdicando ipsi plebano dictam decimam frugum infra septa villae Waltzheim excrescentium ac etiam sandicis vulgariter kraude zehenden, illamque in eventum, quo successu temporis nimium susciperet incrementum et adauctum, sibi ipsi retinendo ac illam decimae majori adscribendo, juxta sui libitum voluntatis. Item habebit insuper plebanus quatuordecim solidos denariorum annue pro luminibus ad orandum, quos dant jurati ecclesiae. Item duos solidos, tres denarios de curiis seu areis Behelers et Jockels kinde. Item tres solidos denariorum super curia hospitalis. Item sedecim denarios, quos dat die Drummeln. Item decem et octo denarios de libro judiciali. Item de pecudibus et porcis habebit portionem consuetam. Item habebit etiam plebanus stolam et alia accidentalia, quae ipsius plebani antecessores habere consueve-

Digitized by Google

runt. Item voluit insuper et vult praefatus dominus pastor dictum plebanum suum ab onere dandi et solvendi seu praesentandi sibi pastori per antecessorem plebanum annis singulis dari et praesentari solito supportatum atque liberum esse et desuper praefatus dominus Georgius Unsslin plebanus dicto domino Hartmanno Beyer, pastori atque patrono suo, solitum et consuetum juramentum praestitit in hunc modum: „Ego Georgius Unsslin, rector parochialis ecclesiae in Waltzheim, Spirensis dioecesis, promitto et juro, quod ab hac hora et in antea et quamdiu rector in dicta ecclesia Waltzheim persevero vel existo, pastori meo obedientiam debitam et condignam in licitis et honestis observabo, sibique fidelis ero ac bona et utilia pastoris juxta nosse et posse procurabo et censibus, redditibus ac proventibus mihi tamquam plebano vel vicario dictae parochiae ut sic assignatis contentus ero, nec quicquam ultra ista seu amplius a praefato pastore exigere studebo, parochiamque meam praescriptam et populum mihi commissum fideliter regam juxta consuetudinem hactenus in eadem parochia observatam, bonaque spectantia ad ecclesiam meam seu vicariam et mihi pro portione mea deputata seu deposita, in structura et cultura debitis tenebo, nil penitus de suis bonis ab eadem ecclesia alienando, sed potius alienata juxta posse et nosse recuperando, neque praedictam ecclesiam permutabo vel resignabo in Romana curia vel extra curiam, nisi hoc fuerit de speciali consensu mei pastoris, fraude et dolo in omnibus praescriptis penitus seclusis et postpositis.“ In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium praemissorum atque concordantiam, quarum pastor unam et plebanus aliam penes se habent. Datum anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo nono, feria tertia proxima post festum beatae Mariae virginis. Ego Hartmannus Beyer, pastor praenominatus, sigillum meum proprium praesentibus duxi subimprimendum. Et quia ego Georgius Unsslin plebanus proprio sigillo ad praesens careo, idcirco venerabilem et circumspectum virum, dominum Nicolaum Benedicti, decretorum doctorem, semipraebendarium ecclesiae Spirensis, ad imprimendum praesentibus pro me sigillum suum proprium instantius rogavi. Ad cujus quidem domini Georgii Unsslin plebani instantiam atque rogatum ego Nicolaus Benedicti, doctor atque semipraebendarius praefatus, recognosco, me sigillum

Digitized by Google

meum proprium pro ipso plebano, citra tamen mei et haeredum meorum damnum et praejudicium, praesentibus literis duplicatis apposuisse.

---

233. *Ludwig bischof zu Speyer unterstellt das kloster Seebach der besonderen aufsicht des abtes Johannes von Sponheim.* 1500 *juni* 19.

Ludovicus Dei gratia episcopus Spirensis venerabili et religioso amico, nobis dilecto Joanni abbati in Spannheim, salutem in Domino. Cum monasterium sanctimonialium in Seebach, ordinis sancti Benedicti, nostrae dioecesis, per nos dudum non parvis laboribus et expensis ad observantiam regularis disciplinae reductum sine diligenti visitatione, cura et sollicitudine alicujus majoritatis non diu in bono statu tam spiritualium, quam temporalium possit subsistere et nos arduis et quotidianis causis ecclesiae nostrae praepediti, illi superintendere non possumus, necessarium duximus illud alicui committere, qui vices nostras compleat et tam in spiritualibus, quam in temporalibus officium visitationis cum caeteris necessariis juxta decreta patrum et ipsius ordinis exequatur. De vestro igitur zelo, prudentia et sollicitudine spem certam habentes, praefatum monasterium usque ad nostram successorumve nostrorum revocationem vobis praesentium tenore committimus, dantes vobis plenam auctoritatem visitandi, corrigendi, emendandi, instituendi, dirigendi, ordinandi et faciendi omnia et singula ipsum monasterium, ejus personas, statum et provisionem secundum statuta ordinis vestri et regulam sancti Benedicti ac canonicas sanctiones, quae vobis pro tempore necessaria visa fuerint et opportuna, pollicentes vobis pro manutentione laudabilis institutionis observantiae regularis ac continuatione monasticae disciplinae in eodem loco nostram assistentiam, consilium et auxilium, ubi et quotiens vobis necessarium fuerit. Insuper praecipimus et mandamus tam praesentibus quam futuris saepedicti monasterii in Seebach abbatissae, sanctimonialibus, conversis et donatis, ut vobis obedientiam secundum regulam sancti Benedicti et ordinis statuta exhibeant, mandatis vestris legitimis obediant, visitationes, monitiones, correctiones, institutiones et decretiones reverenter suscipiant, jussionibus vestris secundum Deum et regulam ordinis humiliter acquiescant. Exhortamur insuper vestram caritatem, quatenus intuitu divini

Digitized by Google

amoris et nostrae petitionis diligentem curam ipsi monasterio tam in spiritualibus quam in temporalibus atque personis adhibere non negligatis, in quo Deo rem acceptam nobisque gratam facietis. aeterna sine dubio mercede recompensandam. Datum sub sigillo nostro a tergo praesentibus impresso, decima nona die mensis junii, anno Domini millesimo quingentesimo.

---

234. *Ludwig bischof zu Speyer giebt vollmacht zur besserung des Dominicanerinnen klosters zu Weissenburg.* 1501 *märz* 13.

Ludovicus Dei gratia episcopus Spirensis, recognoscimus ac ad universorum, quorum interest, notitiam deducimus per praesentes, quod pro parte validi Jacobi de Fleckenstein armigeri nobis oblatae petitionis series continebat, quod, quamquam coenobium sanctimonialium Merebronnense ordinis praedicatorum in oppido Wyssemburg nostrae Spirensis dioecesis situatum, antiquitus per suos progenitores fundatum, erectum, institutum et competenter dotatum fuerit, ibidemque priorissa et conventus caeteraeque sorores ejusdem coenobii pro tempore existentes aliquamdiu inibi altissimo debitum famulatum procurando regularem duxerint vitam, tamen successu temporis praedictae priorissa et sorores conventuales, quo spiritu ductae nescitur, praemissis non attentis, propriae salutis immemores, nedum in scandalum religionis et ecclesiastici status earum, verum etiam totius parentelae earundem sororum scandalum et oblocutionem, ab hujusmodi regulari et laudabili continuata vita recesserint cupiantque dictum coenobium in pristinum regularem reducere, seu potius reduci facere, statum, quod tamen absque nostris licentia, permissione atque voluntate debite fieri non possit, nobisque propterea humiliter supplicato, quatenus ad hoc licentiam, permissionem et voluntatem nostras ordinarias impertire dignaremur. Nos itaque ad praemissa facienda tanto provocamur ardentius, quanto frequentius intenta mente recolimus fructus uberiores ex earum exemplari vita universis et singulis Christi fidelibus, earum vitam et disciplinam videntibus et considerantibus, provenire posse, pia supplicantis intentione commoti, ad assentiendum, quod petitur, studia nostra duximus convertenda. Idcirco, ut dictum coenobium sanctimonialium tam in capite, quam in membris per hujusmodi coenobii praelatos et alios, quorum interest, superiores in statum pristinum ac

Digitized by Google

vitam meliorem ac religiosiorem reduci, debite reformari et alias juxta sanctorum patrum praescripta et instituta, dictique ordinis regulam et observantiam possit et valeat, nostras, quoad hoc et quantum in nobis est, licentiam, permissionem, assensum et pariter auctoritatem ordinariam impertimur speciales, nostris tamen atque successorum nostrorum juribus, privilegiis et praeeminentiis quibusvis in omnibus et per omnia semper salvis. In quorum testimonium sigillum nostrum praesentibus est appensum. Datum in castro nostro Udenheim anno Domini millesimo quingentesimo primo, decima tertia die mensis martii.

---

235. *Raimund cardinal und päbstlicher abgeordneter in Deutschland ertheilt dem Wendelin Jeger von Speyer einen ablassbrief.* 1502 *märz* 2.

Raymundus miseratione divina tituli sanctae Mariae novae, sanctae Romanae ecclesiae presbyter cardinalis Gurcensis, ad universam Germaniam, Dalmatiam, Sueciam, Norwegiam, Frisiam, Porussiam omnesque et singulas provincias, civitates, terras et loca, etiam sacro Romano imperio in ipsa Germania subjecta et eis adjacentia, apostolicae sedis de latere legatus, universis et singulis praesentes literas inspecturis salutem in Domino. Notum facimus, quod sanctissimus in Christo pater et dominus noster, dominus Alexander, divina providentia papa sextus et modernus, concessit omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus pro tuitione orthodoxae fidei contra Turcos, ejusdem fidei inimicos, juxta ordinationem nostram manus adjutrices porrigentibus, propter jubilaeum et alias indulgentias, gratias et facultates, quas Christi fideles ipsi obtinere possunt visitando ecclesias per nos aut commissarios nostros, ac si visitassent basilicas urbis tempore jubilaei, prout in literis apostolicis desuper confectis plenius continetur, quod possint eligere confessorem idoneum saecularem vel regularem, qui eis semel in vita ab omnibus et singulis peccatis, excessibus, criminibus et delictis, etiam sedi apostolicae generaliter vel specialiter reservatis, exceptis contentis in literis, quae in die coenae Domini legi consueverunt, absolutionem plenissimam impendere; ab aliis vero eidem sedi non reservatis vita eis comite totiens quotiens eos absolvere; et in mortis articulo ac etiam totiens quotiens de eorum morte dubitatur, etiam si tunc eos

Digitized by Google

decedere non contingat, plenissimam omnium peccatorum suorum remissionem eis impartiri valeat. Indulsit etiam sanctissimus dominus noster motu suo proprio, omnes et singulos Christi fideles hujusmodi ac eorum parentes et benefactores defunctos, qui cum charitate decesserunt, in omnibus precibus, suffragiis, missis, elemosynis, jejuniis, orationibus, disciplinis et caeteris omnibus spiritualibus bonis, quae fiunt et fieri poterunt in tota universali sacrosancta Christi ecclesia militante et omnibus membris ejusdem, in perpetuum participes fieri. Et ne super praemissis a quoquam verti possit in dubium, voluit ipse sanctissimus dominus noster, quod praesentibus nostris literis tanta adhibeatur fides, quanta adhiberetur, si sub bulla sua plumbea expeditae forent, nec non easdem sub quibuscunque generalibus vel specialibus, de similibus gratiis et facultatibus forsan emanandis revocationibus et suspensionibus nullatenus comprehendi debere. Et quia devotus in Christo Wendelinus Jeger, incola Spirensis, ad ipsius fidei subventionem et defensionem juxta summi pontificis intentionem et nostram ordinationem, prout per praesentes literas sibi in hujusmodi testimonium a nobis traditas approbamus, de suis bonis contulerit, ideo auctoritate apostolica nobis commissa ipsi, ut dictis gratiis et indulgentiis uti et gaudere possit et valeat, concedimus pariter et indulgemus per praesentes. Datum sub sigillo nostro ad hoc ordinato die secunda mensis martii, anno Domini MCCCCCII.

---

236. *Raimund cardinal löset den über den grafen Emich von Leiningen verhängten kirchenbann. Mainz,* 1502 *märz* 30.

Raimundus miseratione divina titulo sanctae Mariae novae, sanctae Romanae ecclesiae presbyter cardinalis Gurcensis, ad universam Germaniam, Daciam, Sueciam, Norwegiam, Frisiam, Porussiam omnesque et singulas illarum provincias, civitates, terras et loca, etiam sacro Romano imperio in ipsa Germania subjecta ac eis adjacentia, apostolicae sedis de latere legatus, reverendo in Christo patri, episcopo Spirensi aut ejus in spiritualibus vicario generali salutem in Domino. Exhibita nobis nuper pro parte dilecti nostri nobilis viri Empchionis ex comitibus de Lyningen et Daspurg ac baronis in Appremont, vestrae dioecesis, petitio continebat, quod licet ipse existens in curia illustrissimi principis, comitis palatini Rheni ac Bavariae ducis, electoris imperii, ut de

Digitized by Google

familia jussionem ac vocationem Johannis de Trotta, tunc ejusdem comitis palatini marescalci, cui omnes militares pro tempore in eadem curia existentes parere habent, contra et adversus venerabiles nobis in Christo dilectos, abbatem et conventum monasterii in Wyssenburg, ordinis sancti Benedicti, dictae vestrae dioecesis, nonnullis vicibus cum familia sua opem et auxilium praestiterit, ac nonnulla frumenta ad ipsos spectantia surripuerit ac in suam utilitatem et usum converterit. Propter quae ad instantiam abbatis et conventus praedictorum per quemdam in Romana curia causarum palatii apostolici auditorem excommunicationis sententia aliisque sententiis, censuris et poenis, forsitan etiam ad interdicti positionem innodatum atque denuntiatum fuisse, tamen idem exponens, qui jam a dicta curia comitis palatini recessit, eisdem abbati et conventui saepe saepiusque hujusmodi frumenta, praeter quae nihil aliud, quod ad ipsos pertineat, recepit, restituere obtulit, verum ipsi abbas et conventus eadem recipere recusarunt, praetendentes ipsum exponentem ad dampna per marescalcum praedictum illata reficienda et interesse debere constringi, tanquam is, qui opem atque auxilium marescalco antedicto praestiterit et sicut eadem petitio subjungebat, ipse exponens non sit sibi conscius in aliquo alio dictos abbatem et conventum damnificasse, nec injuria affecisse et velit singula, quae habuerit supra expressata, abbati et conventui antedictis restituere, quae per eum duntaxat sunt oblata, neque fuerit aut sit in hujusmodi principalis, unde nobis cum amaritudine mentis humiliter supplicavit, ut sibi circa praemissa de opportuno absolutionis remedio, saltem ad cautelam providere dignaremur. Cum autem pia mater ecclesia ac sedes apostolica ad se confugientibus gremium misericordiae impartiri consuevit, nos etiam a claris tam ecclesiasticis quam saecularibus viris sumpta informatione, quod ipse exponens alias sit de illustri prosapia ac vir bonus, timens Deum et, nisi eidem de misericordia sedis apostolicae subveniatur, possent pejora ipsi monasterio contingere et inde aliquid nasci, quod majus scandalum generaret, cum itaque se offerat paratum, interventu communium amicorum et bonorum virorum de praedictis oblatis abbati et conventui antedictis infra tres menses satisfacere, ut cum justitia de eo conqueri non possint: idcirco circumspectioni vestrae per haec scripta auctoritate legationis nostrae, qua fungimur in hac parte, committimus et mandamus, quatenus

Digitized by Google

vocatis dicto abbate et conventu partes concordiae inter ipsos interponere curetis ac recepta fide consensu abbatis et conventus praedictorum loco juramenti, ab ipso exponente, quod obediens erit sanctae Romanae ecclesiae, neque in dictum monasterium aut alias ecclesias similia admittet, a quibuscunque excommunicationis, suspensionis et interdicti sententiis, censuris et poenis absolvatis et liberetis eumque gremio sanctae matris ecclesiae restituatis atque reportetis, ita tamen, quod obliget se atque teneatur, prout nobis promisit, se facturum in termino trium mensium se cum dictis abbate et conventu super hujusmodi controversiis concordasse atque composuisse ac post satisfactionem conventui praedictis factam a sancta sede apostolica beneficium absolutionis impetrasse, alioquin praesentes nostrae literae nullius sint momenti. In quorum fidem praesentes literas fieri nostrique sigilli jussimus appensione communiri. Datum Moguntiae anno incarnationis dominicae millesimo quingentesimo secundo, tertio kal. aprilis, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Alexandri, divina providentia papae sexti, anno decimo.

---

237. *Georg von Gemmingen domprobst zu Speyer und andere erheben, zählen und verwahren die dortigen ablassgelder. Speyer,* 1502 *april* 26.

In nomine Domini, amen. Universis et singulis praesens publicum instrumentum visuris, lecturis pariter et audituris, cujuscunque dignitatis, status, gradus aut conditionis fuerint, pateat evidenter, quod anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo secundo, indictione quinta, die vero martis, vicesima sexta mensis aprilis, sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Alexandri, divina providentia papae sexti, pontificatus sui decimo, reverendus pater, dominus Georgius de Gemmyngen, utriusque juris doctor, praepositus ecclesiae majoris Spirensis, commissarius a reverendissimo in Christo patre et domino, domino Raymundo, miseratione divina tituli sanctae Mariae novae, sanctae Romanae ecclesiae presbyter cardinalis Gurcensis, ad universam Germaniam, Daciam, Sueciam, Norwegiam, Frisiam, Porussiam omnesque et singulas illarum provincias, civitates, terras et loca, sacro Romano imperio in ipsa Germania subjecta ac eis adjacentia, apostolicae sedis de latere legato specialiter deputatus, nec non venerabiles, nobiles, circumspecti et spectabiles viri, domini Heinricus de Helmstat decanus, Phi-

Digitized by Google

lippus de Rosenberg, decretorum doctor et canonicus supradictae ecclesiae Spirensis, ac Jacobus Burchhart, burgimagister, Paulus Hiltpraut zum Lam, proconsul, et Johannes Heydolf, alias dictus Oleyer, consul, vice ac nomine consulatus sive senatus civitatis Spirensis, in ecclesia cathedrali Spirensi ad infrascripta facienda et peragenda in nostrorum notariorum publicorum testiumque subscriptorum, ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum, praesentia, personaliter constituti animo et intensione, ut affirmabant, cistam seu capsam pro collatione, repositione et conservatione pecuniarum, ex indulgentiis sacratissimi jubilaei collectarum, in praedicta cathedrali seu majori ecclesia Spirensi deputatam, locatam, constitutam, quinque seris, clausuris et clavibus clausam et stratam, apperiendi pecuniasque inibi existentes extrahendi juxta ordinationem senatus et congregationis sacri imperii Romani Nurembergae factam et conclusam. Ad finem et effectum hujusmodi una cum nobis notariis publicis ac testibus infrascriptis cistam seu capsam praedictam accedentes, quilibet ipsorum clavem sibi ex ordinatione antetacta deputatam et assignatam, ad cistam seu capsam praefatam spectantem et pertinentem exhibens, palam, clavibus hujusmodi eandem cistam seu capsam unanimiter et concorditer apperuerunt illaque apperta mox et incontinenti pecunias et res inibi existentes et repertas, tam aurei quam argentei valoris et monetarum infrascriptas de et ex eadem cista seu capsa recipi, extrahi et in saccos lineos exponi, illasque sic inde extractas et receptas illico ad stubam capitularem supradictae majoris ecclesiae Spirensis deferri et ibidem pecuniis hujusmodi super tabulam effusis, easdem per se ipsos ac alias fide dignas personas, monetam a moneta tam in auro quam argento secundum variam et multiplicem illius diversitatem ab invicem distincte, diligenter et fideliter segregari et separari fecerunt. Ex quibus quidem separatione et segregatione inventae fuerunt pecuniae et res inferius successive specificatae, videlicet octingenti viginti sex floreni Rhenenses ac quarundam aliarum monetarum in auro numerati una cum quibusdam aliis clenodiolis seu rebus infrascriptis, videlicet duo annuli argentei deaurati. Item parva argentea imago sancti Sebastiani. Item duo rotunda parva argentea grana deaurata. Item unum parvum rotundum argenteum granum. Item unum parvum argenteum monile deauratum in forma, ut mulieres deferre solent. Item parvus argenteus

Digitized by Google

annulus more antiquo fabricatus. Pecuniae vero argenteae monetae non quidem numeratae, sed in libra seu statera distincte ponderatae sunt et moderatae et summa, quae in albis, tam integris quam etiam dimidiis albis monetae patriae reperta et librata est in pondere librationis hujusmodi, ad taxam seu valorem sexingentorum duorum florenorum auri Rhenensis sine phara se extendebat. Moneta autem grossa et etiam mediocris Mediolanensium, Argentinensium, Metensium cruciferorum et aliorum diversorum pagunertorum continebat in pondere staterae libras quatuordecim, sed in denariis monetae Argentinensis patriae Sueviae, nec non hallensium et aliis diversis monetis minutis expertum est pondus staterae librarum centum et octo. Cum itaque ex aut de cista seu capsa supradicta non fuit plures aut aliae in pecuniis, rebus et valoribus aliis, quam, ut supra scribitur, extractae aut receptae, de et ex eisdem pecuniis seu rebus nichil fuit supradicto reverendissimo domino cardinali et legato apostolico datum. Quinimo ac statim dum et postquam pecuniae et res hujusmodi, sic ut praemittitur, tam in auro quam argento partim numeratae, partim libratae essent, in diversos sacculos lineos secundum monetae diversitatem sunt repostae et postquam singuli sacculi hujusmodi ligaturis restricti ac sigillo confessionalium consueto sigillati atque signati fuerant, antedicti domini Jacobus Burckhart, Paulus Hiltprant et Johannes Heydolf sacculos hujusmodi una cum pecuniis et clenodiolis supra specificatis in suam seu verius dicti senatus civitatis Spirensis custodiam atque conversationem praetextu et intuitu ordinationis, unde supra fit mentio, deportari facientes et recipientes abierunt. Supra quibus omnibus et singulis praemissis dominus praepositus, decanus, cantor, burgimagister, proconsul et consul praefati, nominibus, quibus supra, sibi a nobis notariis publicis infrascriptis unum vel plura, publicum seu publica fieri atque confici respective petierunt et quilibet eorum pro se instrumentum et instrumenta. Acta fuerunt haec anno, indictione, die, mense, pontificatu, locis et aliis praenotatis, praesentibus ibidem honorabilibus et discretis viris, dominis Johanne de Meckenheim, sexpraebendario, Conrado Kronberger et Nicolao Buher, vicariis supradictae ecclesiae Spirensis, Jodoco Baltz, Wandelino Finck, Jacobo Queich, Johanne Ochs, Stephano Wendtenstain et Friderico Mullner, laicis et incolis civitatis Spirensis testibus ad praemissa specialiter vocatis, rogatis et

Digitized by Google

requisitis. Et ego Michael Geilfuss de Motern, clericus Spirensis dioecesis, publicus imperiali auctoritate notarius, quia supradictis cistae appertioni, pecuniarum extraditioni, numerationi, separationi, librationi, sacculorum repositioni, sigillationi pecuniarum, in sacculos hujusmodi, ut praefertur, repositioni, supradictis burgimagistro, proconsuli et consuli traditioni et receptioni caeterisque omnibus praemissis omnibus et singulis, dum sic, ut praescribitur, successive et respective fierent et agerentur, una cum provido viro Caspare Erck notario subscripto testibusque praenominatis praesens interfui eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi, idcirco praesens publicum instrumentum per me conceptum et in notam sumptum manu prae et infra nominati Casparis Erck fideliter scriptum exinde confeci, subscripsi, publicavi et in hanc publicam formam redegi signoque et nomine meis solitis et consuetis signavi, in fidem et testimonium omnium et singulorum praemissorum rogatus et requisitus.

---

238. *Ludwig bischof zu Speyer erneuert die St. Lorenz caplanei in Schifferstadt. Speyer,* 1503 *sept.* 2.

Ludovicus Dei gratia episcopus Spirensis. Ad perpetuam rei memoriam. Exposcit inter alia nostri pontificalis officii debitum, ut ea, quae ad divini cultus augmentum pertinent, opere et verbo studeamus favorabiliter promovere et ut populum christianum nobis nostraeque jurisdictioni subjectum devotius incitemus. Cum itaque, ut accepimus sufficienterque edocti sumus, in villa nostra Schifferstadt, dioecesis nostrae, ab antiquo ob honorem sancti Laurentii, martyris et levitae, capella quaedam aedificata et constructa, in eademque quoddam beneficium institutum, fundatum et pro tunc, uti arbitramur, fructibus et annuis proventibus competenter dotatum fuerit, idem tamen beneficium causantibus forsan sinistris eventibus et ejusdem beneficii possessorum negligentiis in suis fructibus, redditibus et proventibus bonisque temporalibus adeo decreverit et diminutum existat, quod possessor ejusdem in et super eodem beneficio et in villa praetacta residentiam personalem facere nequeat, sitque in villa nostra hujusmodi notabilis quaedam ecclesia parochialis crescatque in eadem dietim et augeatur ecclesia in ejusdem confinibus Deo annuente, qui ecclesiam suam novo semper foetu multiplicat, populus baptismalis et christianus, ut pro tanto qui-

Digitized by Google

dem ibidem populo sine speciali coadjutore unica et curata vix possit praeesse persona. Ne igitur calamitatum tempore grex hujusmodi periculum animae patiatur, divinus quoque cultus in ipsa eadem ecclesia parochiali, in qua hucusque legendo tantummodo per unicam personam perficiebatur dulcis psalmorum melodia, minoretur, sed potius augeatur, nos Ludovicus, episcopus Spirensis praedictus, ad ecclesiam et populum hujusmodi speciali favore allecti et inclinati, id ipsum beneficium in dicta capella, ut praefertur, fundatum et erectum singulari quadam affectione et donatione quinque florenis aureis annui census dotavimus et augmentavimus conditionibus et legibus subscriptis. Videlicet, quod deinceps in perpetuum futuris temporibus devotus in Christo dilectus Joannes Sanderus, capellanus capellae et altaris sancti Laurentii praedicti suique successores in eodem beneficio personaliter resideant et plebano ac curato ecclesiae parochialis ibidem dominicis sollennibus et aliis festivis diebus legendo, cantando, sacramenta ecclesiastica ministrando, confessiones subditorum audiendo, baptizando, circumeundo, praedicando et alia ecclesiasticam curam concernentia faciendo, fidelem adstantiam faciant, infirmitatis et alio praesertim necessitatis tempore, impedimento canonico cessante, dummodo tamen infirmitas plebani ultra mensem non duret, alioquin in eventum, si, quod Deus avertat, plebanum loci et villae praetacti languere contingat, idem plebanus praefato capellano pro laboribus per ipsum, ut praefertur, faciendis competenter satisfacere teneatur. Item quod capellanus et successores praefati singulis hebdomadis duas missas in capella et altari antedictis, si commode fieri poterit, et tertiam sabbatho in altari beatae Mariae virginis ecclesiae parochialis praedictae celebrare seu celebrari facere obligatus existat, prout et quemadmodum omnipotentis Dei indignationem superiorumque voluerint evitare. In finem insuper et effectum, ut supradicta suum debitum sortiantur effectum, scultetus, scabini et tota communitas villae praedictae ad capellaniam hujusmodi libere et spontanee novam quandam habitationem cum horreo et stabulis donarunt, quam capellanus pro tempore in debita tectura et structura habere et conservare teneatur, et cum eandem ex negligentia ipsius capellani ruinam pati contingat, idem capellanus et successores praefati ad restaurationem domus ac horrei et stabulorum hujusmodi efficaciter obligatus existat. Et ut capellanus hujusmodi et successores

Digitized by Google

debitam, honestam et competentem habeant temporalium sustentationem commodiusque apud eos et in dicto beneficio residere et morari valeant, dicti incolae voluerunt, ordinarunt et inter se statuerunt quidem deinceps perpetuis futuris temporibus, ut idem capellanus et sui successores habeant et habere debeant partem et communionem in pascuis, aquis, silvis, nemoribus, glandinibus et lignis caedendis et omnibus ad communem usum, utilitatem et commoditatem omnium incolarum dictae villae Schifferstadt spectantibus, ipsisque pro libitu, utilitate et necessitate suis libere et licite uti, frui et gaudere possint et valeant ad instar plebani et aliorum incolarum villae praedictae. Ne autem de collatione altaris sive capellaniae hujusmodi in futurum aliqua dissensionis suboriatur materia, de expressis assensu et voluntate bona ac permissione venerabilis et religiosi in Christo nobis devoti patris Macharii, abbatis monasterii sanctae crucis in Limpurg, dictae capellaniae olim collatoris et patroni, ita ordinandum duximus et ordinavimus, quod deinceps et in antea collatio, praesentatio seu quaevis alia dispositio capellaniae hujusmodi spectabit et pertinebit spectareque et pertinere debebit ad officiatum sive praefectum oppidi in Lauterburg pro tempore existentem, ita et taliter, quod vacationis tempore occurrente hujusmodi primissariam infra duorum mensium spatium a die vacationis computandum alicui habili et idoneo honestoque sacerdoti, vel qui infra annum ad sacerdotium promoveri valeat, conferre et eundem archidiacano loci infra tempus debitum instituendum et investiendum praesentare debeat et teneatur. — Cum autem capellania altaris et capellae sancti Laurentii praementionata in praesentiarum competenter dotata et augmentata sit, fructusque, redditus et proventus ejusdem fixi triginta florenos ascendant, nos Ludovicus episcopus Spirensis supranominatus considerantes, quod ea, quae pro ecclesiarum necessitate et animarum subditorum nostrorum salute provide ordinavimus et statuimus, inconcusse et inviolabiliter debeant non immerito observari, idcirco omnia et singula supradicta per nos, ut praefertur, ordinata, statuta, donata et data auctoritate nostra ordinaria praesentis scripti patrocinio approbanda, ratificanda et confirmanda duximus, prout approbamus, ratificamus et confirmamus Dei in nomine per praesentes, volentes et decernentes eundem capellanum modo et pro tempore existentem perpetuis futuris temporibus ad praemissa omnia et singula teneri et obligatum esse, et

Digitized by Google

ad id ab his, quorum interest, cogi et compelli posse et debere, ob haecque omnibus et singulis fructibus, censibus, redditibus, proventibus, obventionibus, emolumentis, juribus, possessionibus, pertinentiis et bonis temporalibus universis ad capellaniam hujusmodi spectantibus posse atque debere uti, frui et gaudere, contradictione cujuscunque non obstante. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium praemissorum praesentes literas exinde fieri officiique nostri vicariatus in spiritualibus jussimus et fecimus sigilli appensione communiri. Datum et actum in civitate nostra Spirensi, die vero sabbathi mensis septembris secunda, anno Domini millesimo quingentesimo tertio.

---

239. *Raimund cardinal und päbstlicher legat in Deutschland bescheiniget, zu Speyer den dritten theil des ablassgeldes erhalten zu haben. Speyer,* 1503 *dec.* 5.

Raymundus miseratione divina sacrosanctae Romanae ecclesiae tituli sanctae Mariae novae presbyter cardinalis Gurcensis, ad universam Germaniam aliasque nobis decretas provincias apostolicae sedis de latere legatus, fidem facimus et fatemur per praesentes, quod alias tituli tam jubilaei, quam confessionalium, pecunia in inclita civitate Spirensi collecta, numerata tertiaque earundem parte tam jubilaei, quam confessionalium nobis debita et per illustrissimos dominos, Romanorum regem et principes electores ac senatum imperii assignata, per nostros ad hoc deputatos commissarios exinde extracta, compertum est, eandem tertiam se ad summam noningentorum quinquaginta duorum florenorum, undecim solidorum, sex denariorum extendere, de qua quidem summa, omnibus et singulis deductis expensis, tam pro publicatione ipsius jubilaei, quam etiam diversis impressionibus factis, remanserunt de eadem centum octingenta florenorum Rhenensium, de quibus quadraginta octo nostro de consensu ad pios usus conversis, residuum vero seu restantem partem, videlicet summam centum quadraginta florenorum Rhenensium, nos per manus venerabilis viri, domini Johannis Quindech, nostri in hac parte commissarii, a spectabilibus dominis burgimagistris et consulatu dictae civitatis Spirensis in prompta et numerata pecunia recepisse. Quare nos tam de dictis centum quadraginta florenorum summa, quam retuli, tertiae partis omnium et singularum pecuniarum ibi-

Digitized by Google

dem collecta, eosdem dominos burgimagistros, consulatum, nec non cives Spirenses et quoscunque alios, quorum interest, intererit seu interesse poterit quomodolibet in futurum, quietamus, liberamus et penitus perpetuo absolvimus, omnes clausulas contra tenorem articulorum imperii in instrumentis numerationis commissas, per quas dicti domini burgimagistri, consulatus, cives ac eorum successores aut quicunque alii eorum in posterum quomodolibet impediri et inquietari poterit, penitus et omnino cassamus et annullamus, praesentium per tenorem promittentes, prout promittimus per praesentes, eosdem erga sanctissimum dominum nostrum papam et sanctam sedem apostolicam, nec non praefatos dominos regem, principes et senatum et quosvis alios immunes et indemnes relevare, prout relevamus per praesentes, inhibentes nichilominus et sub excommunicationis sententiae latae poena eisdem dominis de consulatu, ne pecunias aliarum duarum partium penes eos in custodiam datas et consignatas nostro vel apostolicae sedis vel alterius cujusvis nomine extra eorum manus quomodolibet ad cujuscunque mandatum aut jussum dare aut relaxare praesumatur, donec et quousque aliud a nobis, sanctissimo domino nostro papa, Romanorum rege et aliis principibus imperii habuerint in mandatis, non aliter quam pro expeditione contra perfidissimos Thurcos fuerit ordinatum. In quorum fidem et testimonium omnium et singulorum praemissorum praesentes literas quietatorias manu propria subscriptas exinde fieri nostrique sigilli majoris jussimus et fecimus appensione communiri. Datum Spirae anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo tertio, indictione sexta, die quinta mensis decembris. — De mandato dicti reverendi domini cardinalis et legati, Joh. Braunfelt, notarius publicus.

---

240. *Georg von Gemmingen domprobst zu Speyer lässt die amtseinführung des pfarrers zu Otterstadt verkünden.* 1504 *feb.* 23.

Georgius de Gemyngen, utriusque juris doctor, praepositus ecclesiae Spirensis, honorabili in Christo nobis dilecto decano capituli sedis ruralis in Vgelnheym et aliis, quorum interest, salutem in Domino. Veniens ad nos honorabilis dominus Jacobus Francisci de Oetingen, presbyter Augustensis dioecesis, nobis humiliter supplicavit, quod cum ipse ad plebaniam ecclesiae parochialis in Otterstat, Spirensis dioe-

Digitized by Google

cesis, nostri archidiaconatus, ad praesens ex morte quondam domini Joannis Vogel, ultimi illius, dum vixit, possessoris, extra Romanam curiam et in partibus defuncti vacantem per venerabiles dominos, decanum et capitulum ecclesiae sancti Guidonis Spirensis, ad quos collatio seu jus praesentandi ad eandem plebaniam, dum vacat, pleno jure pertinere dignoscitur, literis sigillatis legitime praesentatus existat, quatenus ipsum auctoritate nostra ordinarius ut archidiaconus loci investire et instituere dignaremur ad eandem. Nos vero dictum apostoli: Nemini cito manus imponas, ex arrupto attendentes et universis jus suum, quantum in nobis est, illaesum conservare cupientes, vobis decano praedicto tenore praesentium committimus et mandamus, quatenus, si, dum et quando praesentium fueritis vigore requisiti, accedatis, quo et ubi propterea fuerit accedendum et auctoritate nostra proclamando publice, diligenter et peremptorie altaque et intelligibili voce citetis atque citare curetis omnes et singulos sua communiter vel divisim interesse putantes, aut se dicto praesentato opponere praetendentes, ut feria quarta post dominicam Oculi compareant coram nobis aut officiali nostro Spirae in judicio, inque loco consistoriali consueto, mane hora primarum audientiae causarum consueta de suis jure interesse legitime docturi, alioquin visuri et audituri praefatum dominum Jacobum Francisci praesentatum principalem vel procuratorem suum legitimum pro eo, ut ejus nomine de dicta plebania per nos vel officialem nostrum cum solitarum sollempnitatum adhibitione investiri et institui, ac de illa sibi legitime provideri vel saltem dicendum et causam, si quam habuerit rationabilem, quare praemissa fieri minime debeant, allegandum, alioquin nos vel dictus officialis noster ad praemissa indubie procedemus sive procedet, dictorum citatorum absentia vel contumacia in aliquo non obstante. Datum nostri sub appensione sigilli die Veneris, vicesima tertia mensis februarii, anno Domini millesimo quingentesimo quarto.

---

241. *Wilhelm abt zu Weissenburg und andere bewilligen die erhebung Rechtenbach's zu einer pfarrei. Weissenburg.* 1505 *mai* 15.

In nomine Domini, amen. Anno a nativitate ejusdem millesimo quingentesimo quinto, indictione octava, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Julii,

Digitized by Google

divina providentia papae secundi, anno secundo, die vero Jovis, quinta decima mensis maji, coram reverendo in Christo patre et domino Wilhelmo, abbate monasterii sanctorum Petri et Pauli Weissenburgensis ordinis sancti Benedicti, dioecesis Spirensis, dominoque Philippo Schenck, plebano ecclesiae sancti Johannis in Weissenburg, nec non domino Joanne Schrytmil, primissario altaris beatae Mariae virginis capellae in Rechtenbach, filialis dictae ecclesiae sancti Joannis, inque mei notarii publici testiumque infrascriptorum ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum praesentia, personaliter constitutus venerabilis et admodum discretus vir, dominus magister Joannes Stolx, scriptor provinciae communitatis in Guttenberg et tanquam advocatus sive officialis dictae villae Rechtenbach, qui vice et nomine totius communitatis jam dictae villae allegavit, multa pericula animarum et corporum pluribus retroactis modernis temporibus evenisse ex eo, quod incolae Rechtenbach pueros suos ad baptizandum deferre haberent, notanter hyemis tempore per viam longam, valde lutosam et lubricam, ad ecclesiam sancti Joannis in Weissenburg, aliaque mala et negligentias saepius evenisse, rogitans et petens dictae communitatis nomine, quod praelibatus dominus Wilhelmus abbas suum benevolum adhibere vellet assensum et consensum una cum aliis interesse habentibus, ut ordinaria auctoritate praedicta filialis Rechtenbach separaretur ab ecclesia sancti Joannis in Weissenburg et primissaria in Rechtenbach erigeretur in ecclesiam parochialem ad praeveniendum et praecavendum praelibata incommoda. Quibus supradictus tunc dominus Wilhelmus abbas, tanquam pastor et patronus dictarum ecclesiarum sancti Joannis et Rechtenbach, ad praememorata suum benevolum dedit consensum et assensum, deinde supradictus dominus Philippus plebanus suum consensum adhibuit domino nostro ordinario et domino Wilhelmo abbati praedicto, quidquid illi boni ordinarent, facerent, separent sive erigant in laudem Dei omnipotentis et salutem animarum, hoc sibi summe placere; simili modo dominus Joannes Schrytmil primissarius in Rechtenbach respondit et consensum dedit, prout et quemadmodum jam dictus Philippus Schenck plebanus, ut supra, in praesentia mea et testium infrascriptorum, dominus abbas ut pastor et collator dictusque plebanus et dominus Joannes, possessor vicariae, voluerunt et dederunt expressum consensum in meliori forma, prout datur et dari debet secundum communem formam

Digitized by Google

juris, de et super quibus omnibus et singulis plebanus, dominus et magister Joannes Stolx vice et nomine communitatis in Rechtenbach sibi a me notario publico infrascripto unum vel plura publicum seu publica tot, quot forent necessaria, confici atque tradi petiit instrumentum et instrumenta. Acta fuerunt haec in stuba abbatiae supradicti monasterii, sub anno, indictione, pontificatus die et mense, quibus supra, praesentibus ibidem venerabilibus viris, dominis Jodoco Schiiner et Beato Dieterich, canonicis ecclesiae collegiatae sancti Stephani Weissenburgensis, testibus ad praemissa vocatis specialiter atque rogatis. Et ego Jacobus Lemberg, clericus Spirensis dioecesis, publicus sacra imperiali auctoritate notarius, quia dictis allegationibus, petitionibus, consensus praestationibus omnibusque aliis et singulis, dum sic, ut praemittitur, fierent et agerentur, una cum praenominatis testibus praesens interfui eaque omnia ac singula sic fieri vidi et audivi, idcirco praesens publicum instrumentum manu alterius fideliter scriptum exinde confeci, subscripsi, publicavi et in hanc publicam formam redegi signoque et nomine meis solitis et consuetis in fidem et testimonium omnium et singulorum praemissorumque rogatus et requisitus consignavi.

---

242. *Heinrich Cratz von Scharfenstein, generalvicar des bischofes Philipp II. zu Speyer, erhebt Kuhard zu einer eigenen pfarrei. Speyer.* 1505 *juni* 6.

Henricus Craz de Scharfenstein, canonicus majoris ecclesiae Spirensis, reverendique in Christo patris et domini, domini Philippi episcopi Spirensis in spiritualibus vicarius generalis. Decet nos honesta petentium desideria congruo prosequi favore eorumque votis ad divini cultus augmentum ac populi christiani devotionem tendentibus, quae a rectae rationis tramite non discrepant, benevolum praebere assensum. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte venerabilis atque religiosi patris, domini Florentii, praepositi monasterii in Herd, ordinis canonicorum regularium sancti Augustini, nec non sculteti ac universitatis et communitatis incolarumque et inhabitatorum villae Kuhard, Spirensis dioecesis, petitio continebat, quod jam ipsi alias zelo devotionis accensi et moti propriis eorum laboribus et impensis, certam novam capellam in dicta villa Kuhard construxerint et erexerint, cupiant eandem etiam consecrari et in eadem divina officia celebrari et divinum cultum augeri, et si perpetua capella-

Digitized by Google

nia ad altare sanctae Catharinae sita in parochiali ecclesia Leymersheim, quam honorabilis in Christo nobis dilectus Conradus Zorn in praesentiarum obtinet, ad dictam novam capellam cum singulis ejus fructibus, redditibus, proventibus atque oneribus transferretur, ipsique Conrado atque incolis et inhabitatoribus eorumque posteris gratiose concederetur atque indulgeretur, quod singulis dominicis atque aliis festivis sive sollemnibus diebus, principalibus quatuor festivitatibus duntaxat exceptis, liceret eis in dicta capella divina celebrare officia ac ibidem evangelium, praecepta ecclesiae ac alias verbum Dei respective praedicare et audire atque venerabilia eucharistiae et extremae unctionis sacramenta ibidem habere et custodire, necessitatisque et nocturnis temporibus eadem recipere, idque profecto in non modicum divini cultus augmentum tenderet, ipsorum incolarum et inhabitatorum consuleretur incommoditatibus, nobisque propterea similiter supplicatum, quatenus eorum statui et incommoditatibus consulere et opportune providere dignaremur. Nos cupientes nostris temporibus divinum cultum augeri supplicationibusque hujusmodi inclinati, capellaniam altaris sanctae Catharinae praefatam, quam dictus Conradus Zorn, ut praefatur, obtinet, una cum ejusdem fructibus et oneribus de et ex ejusdem Conradi, nec non supranominati venerabilis domini praepositi, tanquam collatoris et capellaniae praedictae primarii, nuncupati patroni atque domini Joannis Schoffel, plebani sive rectoris parochialis ecclesiae in Leymersheim expressis assensu, consensu et voluntate nobis desuper praestitis atque exhibitis, in et ad dictam capellam novam, ut sic dotandam et ut debite consecretur, iudulgendum, quodque, postquam consecrata fuerit, liceat supradicto Conrado, incolis et inhabitatoribus universis atque eorum successoribus et posteris respective dominicis atque aliis festivis diebus, quatuor festivitatibus principalioribus duntaxat exceptis, in eadem capella divina officia celebrare, verbum Dei et praecepta ecclesiastica praedicare, seminare, audire, nec non venerabilia eucharistiae et extremae sacramenta debite et reverenter conservare nocturnoque et necessitatis temporibus administrare et recipere, concedendum duximus, prout transferimus, dotamus, indulgemus, concedimus et auctoritate nostra ordinaria licentiam et auctoritatem indulgemus Dei in nomine per praesentes, ita et taliter, quod supradicti scultetus, incolae et inhabitatores villae Kuhard obligati et adstricti sint at-

Digitized by Google

que existant, capellam supradictam manutenere et in structura debita conservare et capellano praedicto domum sive habitationem ad capellaniam hujusmodi perpetuo pertinentem funditus et de novo construere, aedificare et restaurare, quae cum constructa fuerit, per eundem capellanum pro tempore existentem in debita et consueta structura conservari debet, nec non elemosynis et aliis supplicationibus sive petitionibus fideliter colligere, et quantum poterunt, operam dare, ut fructus capellaniae capellaeque hujusmodi augmententur, pro majoris ejusdem possessoris competentia, praeter id et absque eo, quod plebanus in Leymersheim, pro tempore existens, ad hujusmodi vel alio quovis modo contribuere, aut inhabitatoribus sive incolis dictae villae temporibus supradictis in capella hujusmodi nova divina officia celebrare, verbum Dei seminare aut alias sacramenta ecclesiastica, necessitatis tempore tantummodo excepto, ministrare teneatur. Item quod dictus capellanus pro tempore existens singulis dominicis diebus in capella nova praefata unam missam legere, verbum Dei et praecepta ecclesiae praedicare et alias plebanum ibidem existentem doctrina et exemplo instruere, eisque, cum requisitus fuerit, ecclesiastica sacramenta ministrare et alias in hebdomada alterum in eadem capella, tertiam vero in parochiali ecclesia praedicta diebus congruis legere seu legi facere atque apud capellam hujusmodi debitam, continuam atque personalem residentiam facere et exinde oblationem, stolam et singula alia obvenientia, quae hucusque plebanus in Leymersheim in villa et incolis praedictis habuit seu habere potuit, praeter decimam minutam, nec non annis singulis duos florenos auri Rhenensis ex invotis hujusmodi pro laborum suorum aliquali recompensia recipere, sublevare et in suos usus convertere possit, valeat atque debeat, ipsique incolae et inhabitatores hujusmodi sibi sine contradictione dare, tradere et assignare respective teneantur, quodque etiam capellanus praedictus et pro tempore successores et possessores habeant et habere debeant partem et communionem in pascuis, aquis, silvis, nemoribus, glandibus, lignis caedendis et omnibus ad usum communem, utilitatem atque commoditatem tendentibus ad instar incolarum et inhabitatorum, sine tamen exactione contra ecclesiasticam libertatem uti, frui et gaudere possint et valeant, contradictione, dolo et fraude quibusvis cessantibus. Collationem vero hujusmodi capellaniae novae atque altaris ad eandem,

Digitized by Google

ut praefertur, translati supranominato domino praeposito pro tempore existenti atque ejus successoribus, dum et quoties eam vacare contigerit, reservantes, ita, ut nonnisi habilis et idonea persona, actu in sacerdotio existens, aut quae infra annum promoveri, capellaniae atque ejus curae annexae praeesse possit, ad eandem praesentetur sive instituatur, ab eadem sese sine licentia domini nostri episcopi aut ejus successorum licentia et permissione minime absentando. Episcopalibus, archidiaconalibus et synodalibus aliisque ab antiquo solvi juribus consuetis per omnia salvis, volumus atque ordinaria nostra auctoritate injungimus atque mandamus capellano, sculteto, incolis et inhabitatoribus supradictis et pro tempore existentibus, ut singulis annis quatuor festivitatibus, sollempnibus et principalioribus, nec non rogationum temporibus, dictam principalem et matricem ecclesiam, prout ab antiquo frequentent, debitas oblationes faciant, divina audiant sacramentaque ecclesiastica juxta institutionem ecclesiae accipiant et eandem ut principalem atque matricem ecclesiam recognoscant, ipseque capellanus plebano in Leymersheim pro tempore existenti debitam eisdem festivitatibus adstantiam faciat, insuper addixerunt nobis supradicti sculteti, scabini atque inhabitatores per eorum ad hoc missum nuntium atque syndicum, se omnia et singula superius narrata velle firmiter et inconcusse observare et nihilominus in eventum, quo fructus, redditus et proventus dictae capellaniae, qui in praesentiarum triginta quinque florenorum auri Rhenensis valorem minime ascendunt, per rumptionem aut alios sinistros casualesque eventus decrescere et diminui contingeret, quod eosdem resarcire et summam hujusmodi capitalem pro dicti capellani sustentatione de eorum propriis bonis, sumptibus et erogationibus adimplere velint, contradictionibus, oppositionibus et negligentiis quibuscunque semotis. In quorum testimonium sigillum officii nostri vicariatus praesentibus est subappensum. Datum Spirae die Veneris, sexta junii, anno Domini millesimo quingentesimo quinto. — Georgius Reyser notarius subscripsit.

---

243. *Philipp I. bischof zu Speyer verrechnet mit dem stiftsdechant zu St. Guido, Johann Seghart, die reise nach Rom. Udenheim,* 1506 *jan.* 20.

Nos Philippus Dei gratia episcopus Spirensis notum facimus per praesentes omnibus et singulis, quorum interest, intererit aut

Digitized by Google

interesse poterit quolibet in futurum, quod egregii et honorabiles nobis in Christo dilecti, Thomas Truchsess, decretorum doctor, scolasticus et canonicus majoris, nec non Joannes Seghart, sancti Guidonis Spirensium ecclesiarum decanus, alias pro confirmatione electionis de persona nostra in episcopum Spirensem factae, ac illius nobis praesentati et assumpti decreti vigore ad Romanam curiam nuntii et oratores specialiter destinati, nobis de omnibus et singulis per nos et nomine nostro ratione dictae confirmationis pro nobis obtentae et expeditae receptis et distributis fidelem et integram fecerunt computationem, quietantes praeterea ac in forma meliori, qua fieri potest, liberos et quietos penitus et omnino censentes dictos dominos, Thomam scolasticum et Johannem Seghart decanum eorumque et cujuslibet eorundem haeredes et successores ac quoscunque alios eorum nominibus, de omnibus et singulis receptis et expositis antedictis nihil penitus praemissorum occasione. Obligantes insuper nos et successores nostros praesentium vigore, ab eisdem dominis, scolastico et decano praemissorum occasione deinceps et in perpetuum nihil penitus expetere seu etiam exigere velle seu etiam ab aliis nostro et successorum nostrorum nominibus exigi aut postulari posse, neque debere. In cujus fidem et testimonium praemissorum praesentem secundam quietantiam sigillo nostro subimpresso communivimus. Datum et actum in arce nostra Udenheim, die Martis, vigesima januarii, millesimo quingentesimo sexto.

---

244. *Philipp bischof zu Speyer wird mit dem grafen Emich von Leiningen wegen der gefälle des kammeramtes vertragen.* 1507 *nov.* 10.

Wir Ludwig grave zu Lewenstein vnd herr zu Scharpfeneckh, Heinrich von Helmstatt, dhumdechant zue Spire, Johanns von Hattstein, comthur zu Heimbach, sant Johanns ordens bekennen vnd thun kundt. Nachdem irrung zwischen dem hochwurdigen fursten, herrn herrn Philipsen, bischofen zu Spire, vnserm gnedigen herrn, an einem vnd dem wolgeboren Emichen, graven zu Leiningen, vnserm lieben oheim, gevattern vnd herrn anderss teils, entstanden, also daz jetzgedachter grave Emich furgewanndt, nachdem sin eltern, graven zu Leiningen, vnd er dass kammerampt von einem yeglichen bischof zu Spire vnd sinem stifft zu lehen tragen,

Digitized by Google

so soll vff das wenigst das silbergeschirr, so vff den tag eins bischofs inreitten oder inkommen vff seinem tisch gebraucht wurdt, ime zustehen, sich haben auch die vorgeenden bischove alleweeg mit sinen elltern darumb vertragen vnd inen iren willen darumb gemacht. Dagegen aber gemelter vnser gnediger herr von Spire auch furwantt, das die eigenschafft des kammerampts das salbuch noch die lehenbrieff solichs nit vff ine haben oder vermogen, so sey es auch im brauch nit herkommen, desshalb sich beid parthyen nit vertragen konnten, das wir zuvorkommen wyther verath, so vss dieser irrung herwachsen mocht, mit beidertheil wissen vnd willen, die irrung nachvolgender mass vertragen vnd gericht haben, nemlich soll megedachter vnser gnediger herr von Spire graven Emichen hundert gulden vnd silbergeschirr, das hundert gulden wert sye, geben vnd wessen solich silber mee oder munder dann hundert gulden wert were, soll ein theil dem andern mit barem gelt erstatten vnd bezalen vnd also solicher irrung zu diesem male vertragen vnd gericht syn, doch diese hanndlung vnd vertrag nachmals yedem theil an syner gerechtigkeitt vnvergriffen syn vnd bleiben. Zu vhrkundt sindt dieser vertrags brieff zwen gleichs lauts jedem theyl einer vbergeben, mit vnser aller dryer obgenantten teydungs lautt inngesigeln versigelt vff mittwuch sanct Martins abent nach Christi geburte, da man zallt funffzehenhundert vnd sieben jare.

---

245. *Johann von Oberndorf prior auf dem Donnersberge stiftet almosen in die kirche zu Alsenz.* 1508 *aug.* 29.

Ich bruder Johan von Oberndorff, prior des cloisters vff dem Donnerssberg, bekennen vnd thon kont, dass vor verschydenen jarn etlich fromme erber lude mir zu kommen sint vnd vff iren glauben, sie zu mir gesagt, etliche gelt vff myne sele heyle mir zugestalt, vsserlich myne gotsshuss obgenant, in gotssdienst an zu legen, nach myne besten vorstenness, dass ich auch also von yne vffgenommen vnd mich in truwen versprochen han, dem volzock zu thon. Dem nach hab ich bedacht, dass alle ding in handen vnd gewalt des allmechtigen Gotss sint, hie vff erden eyn vnsicher zergencklich leben, nit sichrer don der doit vnd onesicherer, der zyt vnd ston dess doitss, vnd nach diesem leben ein vnzugencklich ewige wesen ist. Her vmb dem allmechtigen Goit zu

Digitized by Google

lobe, Marie der hymele konigin vnd alle heylligen zu ere, den sele von den dyss obgenant gelt herkompt, iren mit verwandten vnd allen glaubigen selen zu troist vnd heile. han ich eyn selegerede vnd eyn ewig almusen vnd spend gesatzt, bescheyden vnd gemacht, in der pharkirchen zu Alsentz jerliche dry malter kornss armen noitterfftigen luden zu geben, nemlich zu jglicher der zweyer bruderschafft, die man nennet der prister bruderschaft vnd zwey mail im jar in obgenant phar begeet, nemlich zu eym mail vff dinstag nach dem achzeensten tag, zum andern vff dinstag nach Quasimodo geniti, zu iglichen obgenant bruderschafft ewiglichen eyn malter kornss vnd das drit malter kornss, so man der phar jahrgezeyt jerlich begeet, armen luden zu spenden geben vnd vssrichten. Vnd dar vmb dass pharer vnd geschworen der obgenant pharkirchen solichss zu ewigen zytten alle jar jn obgeschriebenem maiss geben, vssrichten vnd bestritten sollen, han ich prior obgenant yn vor datum diss brieffss vom obgenant gelt gegeben vnd zu iren handen geanwurt vierzig gutte, gemeene, Rinsser gulden. Vnd wer es sach, dass die genant pharen vnd gesworen oder ire nachkomenden sich simpten eyns jarss oder mer, vnd solich obgenant almusen vnd spend in obgeschriebenem maiss nit geben vnd vssrechten, dass doch nit syn solle, so dick vnd viel, dass geschee vnd zu welcher zyt, so han ich bruder Johan prior obgenant vnd myn convent oder vnser nachkomenden oder wen wir senden von vnser wegen vnd vns bysteen will, macht eyn atatz oder monebrieff zu Mentz zu holen vff die obgenant pharer vnd gesworen oder ire nachkomenden vor soliche genant fertzig gulden, alss vor erkant scholt, die vor dem richter erkant were vnd den forther vff sie procederen, alss recht ist vor hauptgelt vssstehen almusen oder spenden, auch vor kosten vnd schaden dar vff gegangen vnd forther geen wurde, alss lang mit vns dass eyn soll gnugen von yne geschiet. Her widder soll sie nit schirmen keynerley friheyt, gaistlich oder werentlich, oder auch gewonheyt, sie itz hetten oder her nach mailss her werben oder gewinnen mochten. Dass die obgenant pharer vnd geschworen vor sich vnd ire nachkomenden sich versprochen haben in crafft diss brieffs vnd vns genant prior vnd convent, vnser nachkomenden oder were von vnsert wegen handeln wurde, allen schaden fry zu halten vnd diesser schrifft nachzukommen vnd one weygerung

Digitized by Google

folnzock zu thon. geverde vnd argelist gantz her in vssgescheyden. Zur vrkund han ich bruder Johan obgenant myn priorats jngesigel an disen brieff gehangen. Gegeben vff dienstag nach Bartholomey apostoli anno MCCCCCVIII.

---

246. *Maximilian I. kaiser ertheilt dem bischofe Philipp I. von Speyer die befugniss, alle uneheliche, welche ohne rechtmässige erben und letztwillige verfügung sterben, zu erben. Augsburg,* 1510 *april* 27.

Johannis Musigang de Mulnhusen, olim ejusdem ecclesiae rectoris, de illa, quam tunc obtinebat in manibus ipsius Matthiae episcopi extra Romanam curiam sponte factam et per eundem Matthiam episcopum extra dictam curiam ordinaria auctoritate admissa vacantem, cujus collatio seu jus praesentandi personam idoneam ad illam, dum vacabat, ad provisores communis praesentiae hujusmodi pro tempore a dictis capitulo deputatos spectare dinoscebatur, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, de expresso consensu et voluntate quondam Udalrici de Helmstat, praepositi dictae ecclesiae Spirensis, nec non eorundem decani et capituli hujusmodi dicta auctoritate ordinaria perpetuo univit, annexuit et incorporavit, ita, quod liceret dictis provisoribus per se vel alium seu alios corporalem parochialis ecclesiae juriumque et pertinentiarum praedictorum possessionem jussu eorundem decani et capituli nomine dictae massae seu praesentiae propria auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere ac illius fructus, redditus et proventus, reservata super illis pro vicario, per dictos provisores pro tempore existentes inibi instituendo et ad eorum nutum amovendo, congrua portione, per ipsum Matthiam episcopum et successores, episcopos Spirenses pro tempore existentes moderanda, ex qua se commode sustentare, episcopalia et archidiaconalia jura solvere et alia incumbentia onera perferre valeat in dictae massae seu praesentiae duntaxat usus et utilitatem convertere, cujusvis licentia desuper minime requisita, prout in ipsius Matthiae literis desuper confectis et suo sigillo munitis dicitur plenius contineri. Quare pro parte decani et capituli praedictorum, asserentium, fructus, redditus et proventus dictae parochialis ecclesiae octo marcharum argenti secundum communem aestimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, ut unioni, annexioni et incorporationi praefatis pro illorum subsistentia firmiori robur apostolicae confirmationis adjicere ac alias in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia volumus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum aestimationem praedictam etiam beneficii, cui illud uniri peteretur, alioquin unio non valeret et semper in unionibus commissio fieret ad partes vocatis, quorum interesset et idem observaretur in confirmationibus unionum factarum, decanum et capitulum praedictos et eorum singu-

Digitized by Google

los a quibuscunque excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes dictaeque massae seu praesentiae fructuum, reddituum et proventuum verum annuum valorem praesentibus pro expresso habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, unionem, annexionem et incorporationem praedictas et prout illas concernunt, omnia et singula in dictis literis contenta et inde secuta quaecunque auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus ac praesentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Et nihilominus decano et capitulo praefatis, ut de caetero perpetuis futuris temporibus fructus, redditus et proventus parochialis ecclesiae hujusmodi in dictae massae seu praesentiae usus et utilitatem duntaxat et non alias convertere ac vicarium praedictum ad eorum nutum amovibilem instituere libere et licite valeant, praefata auctoritate earundem tenore praesentium indulgemus, non obstantibus praemissis ac voluntate nostra praedicta et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, approbationis, confirmationis, communitionis, suppletionis et concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicae millesimo quingentesimo decimo septimo, kal. novembris, pontificatus nostri anno nono.

---

260. *Georg bischof zu Speyer ertheilt einer fallsüchtigen person von Speyer einen steuerbrief. Udenheim.* 1518 *juli* 8.

Georgius Dei gratia episcopus Spirensis, universis et singulis plebanis, viceplebanis et verbum Dei praedicatoribus civitatis et dioecesis nostrae Spirensis, salutem in Domino sempiternam. Cum ex morbo epileptico Catharina de Spira praesentium latrix misera sit et languida, sicut fide dignorum testimonio accepimus, non possumus paupertatis favore

Digitized by Google

eam vobis commendatam non facere. Quare hortamur, velitis eam populo pro elemosynarum largitione commendatam reddere meliore modo et forma. Unde et vos et qui largiri sibi fuerint, mercedem a Deo, non dubitamur, consequi poteritis, praesentibus tamen, quibus sigillum nostrum secretum appensum est, post biennium minime valituris. Datum in castro nostro Udenheim octava die mensis julii, anno Domini millesimo quingentesimo decimo octavo.

---

261. *Georg von Schwalbach, generalvicar des bischofes zu Speyer, ordnet die stiftung eines betzuges in Dürkheim. Speyer,* 1518 *dec.* 17.

Universis et singulis Christi fidelibus, praesentibus et futuris, praesentes literas inspecturis, visuris, lecturis pariter et audituris. Georgius de Swalbach, custos et canonicus ecclesiae Spirensis, reverendique in Christo patris ac illustris principis et domini, domini Georgii episcopi Spirensis, comitis palatini Rheni ac Bavariae ducis, in spiritualibus vicarius generalis, ad infrascripta specialiter deputatus, salutem in Domino sempiternam. Ad perpetuam rei memoriam. Deposcit inter alia officii nobis commissi debitum, ut ea, quae ad divini cultus augmentum populique christiani devotionem tendere videntur, verbo et opere studeamus favorabiliter promovere. Exinde etenim et praesentis vitae meritum et aeternae remunerationis possumus praemium cum fiducia exspectare. Sane siquidem pro parte honorabilium ac honestorum in Christo nobis dilectorum, plebani, beneficiatorum, juratorum ecclesiae ac sculteti, justitiariorum et totius communitatis hominum oppidi Durckheym, Spirensis dioecesis, nobis fuit expositum, qualiter ipsi, pia intentione moti, in et ob Dei omnipotentis ejusque gloriosissimae virginis Mariae omniumque supernorum civium laudem et honorem, nec non suorum ac progenitorum et omnium Christi fidelium animarum salutem instituerint, fundaverint et ordinaverint, ut singulis diebus sabbathinis perpetuis futuris temporibus, post decantationem antiphonae „Salve regina“ etc., fiat devota processio de choro ad ossorium, per dictos plebanum, capellanos et beneficiatos ac rectorem scolarum et scolares cum decantatione responsorii „Cognoscimus Domine“ etc., responsoriisque aliis ac antiphonis, versiculis et collectis consuetis ad instar aliorum locorum circumvicinorum, unde plebanus

Digitized by Google

qualibet vice tres et quilibet ex capellanis seu beneficiatis duos denarios, nec non rector scolarum similiter duos denarios et aedituus unum denarium habere seu percipere debebit per procuratorem seu magistrum ecclesiae, vulgariter den kirchenmeister nuncupatum, in prompta pecunia distribuendos, qui quidem magister ecclesiae pro laboribus suis qualibet vice unum denarium habere debebit et tantum praesentibus et dictae processioni personaliter interessentibus praesentiae hujusmodi dabuntur. Et propterea pro parte eorundem nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus hujusmodi ordinationem cum omnibus et singulis punctis et articulis praedictis auctoritate nostra ordinaria ratificare, approbare et confirmare, nec non indulgentias consuetas pro majori populi devotione captanda ad praemissa impartiri et concedere dignaremur. Nos igitur Georgius de Swalbach custos et in spiritualibus vicarius memoratus, supradictorum exponentium pium propositum considerantes, ordinationem antedictam ratam et gratam habentes illamque in et cum omnibus et singulis punctis et articulis praescriptis, pro eorum subsistentia perpetua, auctoritate ordinaria dicti domini nostri reverendi episcopi nobis commisssa, et qua fungimur in hac parte, confirmare, approbare et corroborare duximus, prout confirmamus, approbamus et corroboramus praesentisque scripti patrocinio communimus. Et nihilominus ex uberioris dono gratiae de omnipotentis Dei misericordia ejusque gloriosissimae virginis Mariae ac beatorum Petri et Pauli apostolorum meritis et auctoritate confisi, omnibus et singulis Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis, qui processionem praescriptam devote interfuerint, auctoritate ordinaria ejusdem domini nostri, reverendi episcopi Spirensis, nobis, ut praedicitur, commissa, totiens quotiens quadraginta dies indulgentiarum de injunctis eis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus, praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. In cujus rei testimonium sigillum officii nostri vicariatus praesentibus est appensum. Datum et actum Spirae die Veneris decima septima mensis decembris, anno Domini millesimo quingentesimo decimo octavo.

---

262. *Georg bischof zu Speyer erlässt eine verordnung wegen des wandels und handels mit den juden. Speyer,* 1519 *april* 4.

Georgius Dei gratia episcopus Spirensis, honorabilibus in Christo nobis dilectis, universis et singulis parochialium eccle-

Digitized by Google

siarum rectoribus, plebanis, viceplebanis et locum tenentibus eorundem, sub quorum regimine et limitibus ecclesiarum parochialium perfidi judaei moram habere dinoscuntur, salutem in Domino sempiternam et nostris hujusmodi firmiter obedire mandatis. Cum magno animi nostri moerore et non parvo christianae religionis dedecore ad aures nostras pervenit, perfidos judaeos, quibus Deus ob multiplicia scelera propheta attestante libellum repudii misit, solita magis in nostra etiam dioecesi, christianae sectae Christoque ipsi ac sanctissimae matri, semper virgini Mariae, omni posthabita verecundia, frequentius illudere et quasi impune insultare ac plerumque, ut est hoc genus hominum leve et subdolum, civilium magistratuum indulgentia in nostros impia quaedam et nefaria machinari, quo magis fidem nostram despectam et irrisam habeant. Quocirca officii nostri esse visum est, tantae hominum seu potius canum perversitati quocunque modo resistere seu obviam ire et eo magis, cum saeculares praefecti, quorum esset haec nephanda ob Christi gloriam prohibere, non solum haec non prohibeant, sed interdum, judaeorum donis corrupti, etiam tolerent, et quantum in ipsis est, non sine gravi peccato tutentur, unde illis postea voluntas nobis insultandi non minuitur, sed animus magis ad calumniandum incitatur. Cum igitur inimici crucis Christi, filii scelesti et, ut Esaias eos vocat, semen mendax nullam nos insectandi causam habeant, quod videlicet eos per orbem terrarum dispersos et pietate et quadam commiseratione recepimus et sustinuimus cohabitareque nobiscum permisimus: ideo magis, si quid tale per suam proterviam in nos ausi fuerint, eorum conatibus sacrilegis obviandum est, utpote qui nobis, ut patrum decreta perhibent, pro gratia contumeliam, pro familiaritate contemptum reddant et qui pro beneficiis plurimis — tanta est gentis improbitas — non gratiam, sed maleficium reddere semper parati sint, cum multo magis, si saperent, nobis, religioni nostrae non insultare deberent, neque Christum ejusque sacratissimam matrem conviciis incessere sacerdotesque apud vulgum, ut solent, contemnere, sed pro magno habere, quod a nobis in suo ritu suisque observantiis tolerarentur. Verum cui parceret perfidissimus populus, seu quos non ludibrio haberet, qui super Christum etiam verum Deum et hominem luserunt, ut Esaias prophetavit, os suum dilataverunt et linguam injecerunt. Quod quia nobis compertissimum est, perversissimorum hominum conversationem

Digitized by Google

et familiaritatem declinare debemus, eorum consuetudinem et societatem aversari, ne per continuas hujusmodi familiaritates ad eorum superstitionem simplicium mentes rapiantur. Cum autem verendum sit, ne divinam propter hoc indignationem incurramus, si perfidorum judaeorum nefanda scelera inemendata relinquerimus, maxime cum ea confusionem fidei nostrae inducere videantur atque, ut leges etiam docent, per contumeliam creatoris respublica laedatur, fames, terrae motus et pestilentia, qua etiam nunc laboratur, fiat, dum nimis patienter Christi, Dei nostri, opprobria sustinemus, nam si olim, ut in Hieremia legimus, Deus omnipotens non dedit hominibus plenitudinem annuae messis et pluviam temporaneam tempestatesque serenas propter populi iniquitates et maxime ob hoc, quod in populo suo inventi erant impii insidiantes quasi aucupes, quales imprimis judaei sunt, laqueos ponentes et pedicas ad capiendum viros, quanto magis nunc credendum est, nos hujus saeculi mala, quae plurima sunt, bella videlicet, pestes mortesque varias, annonae difficultates, coeli denique intemperiem hinc vel maxime meruisse, quod non solum nos peccavimus, sed judaeos perfidissimos nobis religionique nostrae auctorique ipsius Christo impune illudere et insultare cum magna christianae fidei ignominia pertulimus et toleravimus. Providendum itaque est, ne rebellis et contumax populus nostra negligentia posthac nobis nostraeque religioni haud impune illudat, quapropter, cum illius opprobria dissimulare non debeamus, qui probra nostra sua morte delevit, volumus et plebanis nobis subjectis, quibus praesens noster processus dirigitur, districte praecipiendo mandamus, quatenus subditos vestros utriusque sexus homines, tam spirituales, quam saeculares, cujuscunque gradus vel eminentiae existant, sub excommunicationis poena publice moneatis et requiratis, ne posthac judaeis cohabitent, sive cum eis manducent, neque servitia aliqua illis praestare, aut proles eorum mercede lactare vel nutrire, aut medicinam ab eis recipere praesumant aut frequentiorem cum eis conversationem habeant, quando facile christiani propter judaeorum fallacias in eorum superstitionem adduci possent. Judaeos vero sub limitibus parochiarum vestrarum commorantes sub anathematis, excommunicationis et exclusionis a participatione christianorum poenis pari modo moneatis et requiratis, quatenus unusquisque eorum signum certum, videlicet viri circulum croceum ante pectus in veste, feminae vero fascias

Digitized by Google

duas caerulei seu blauii coloris in peplo palam et absque omni occultatione deferre studeant, ut sic habitu et signis in vestimentis a christianis distinguantur, ne vestium conformitate christianorum, quod saepe fieri consuevit, honoribus indebitis afficiantur. Sacris item summarum vel gloriosissimae virginis et matris Mariae sive aliarum praecipuarum festivitatum diebus, maxime autem cum passionis dominicae memoria recolitur, praefati judaei se domi contineant, fenestras et ostia claudant, christianorum colloquia et conventus vitent, ne eorum interventione fidelium devotio impediatur et religionis nostrae observantia polluatur. Admonitos deinde perfidos judaeos esse volumus, ne in vicis et plateis sacerdotibus sacramenta gestantibus temere occurrant, sed potius, quando honorem illis exhibere non volunt, cedant et ab eorum itinere, quantum possunt, declinent, ne sua praesentia fidelibus scandalum et sacris contemptum afferant. Abstineant praeterea sub simili poena perfidissimi canes a contumeliis et injuria beatissimae Mariae virginis, quae nobis salutem peperit, quam, sicuti dolenter accepimus, saepe maledictis et gravissimis blasphemiis insectantur, conviciantur et irrident, qua certe audacia nisi resipiscant, nobis causam dabunt hujusmodi praesumptores atrociter in eos condigna animadversionis poena procedendi, certificantes omnes et singulos hujusmodi mandatorum salubrium nostrorum transgressores, quod nos vel vicarius noster in spiritualibus contra ipsos ad praefatarum tam excommunicationis et anathematis, nec non exclusionis poenarum declarationem procedere curabimus, seu curabit, justitia mediante. Et si dicti moniti seu monendi aut quicunque alii per praemissa se praetenderint gravatos, eosdem peremptorie citetis, quos nos etiam tenore praesentium sic citamus, quatenus nona die proxima post praesentium insinuationem, si dies ipsa non juridica fuerit, alioquin proxima die juridica sequenti, coram venerabili devoto, in Christo nobis dilecto domino Georgio de Schwalbach, custode et canonico ecclesiae nostrae Spirensis ac nostro in spiritualibus vicario generali, Spirae in curia habitationis solitae suae residentiae compareant hora post meridiem prima ad dicendum et excipiendum, quidquid verbo vel in scriptis contra praesentes nostras literas monitoriales dicere sive excipere voluerint aut poterint, causasque sui gravaminis alligandum aliasque procedendum et procedi videndum et audiendum ad dictarum poenarum declarationem et alias ad

Digitized by Google

ulteriora, prout de jure vel saltem, si quam habeant rationabilem, in contrarium alligandum. Certificantes etiam eosdem monitos et in eventum citatos, quod in eventum non paritionis ad declarationem dictarum poenarum et alias ad ulteriora contra eosdem procedere curabimus justitia mediante, ipsis ad alios actus judiciales in valvis ecclesiae Spirensis, ut moris est, duntaxat citatis. Datum in civitate nostra Spirensi sub vicariatus nostri sigillo subimpresso, die vero quarta aprilis anno millesimo quingentesimo decimo nono.

---

263. *Georg bischof zu Speyer schlägt Anton Engelbrecht dem pabste als seinen weihbischof vor. Udenheim.* 1520.

Sanctissimo in Christo patri et domino, domino Leoni, divina providentia sanctae Romanae ecclesiae summo pontifici, devota creatura, Georgius episcopus Spirensis, usque ad sacrorum pedum sanctitatis vestrae oscula humilia obedientiam et reverentiam. Beatissime pater! Cum bonae memoriae Lucas, episcopus Termopolensis, qui, dum viveret, ex speciali indulto apostolico de expresso meo consensu pontificalia in civitate et dioecesi Spirensi exercere consuevit, nuper, sicut altissimo placuit, naturae debitum persolverit, et ego propter continuas praeoccupationes circa regimen et administrationem spiritualium et temporalium ejusdem ecclesiae necessario habendas ac latitudinem et copiosam multitudinem personarum spiritualium et saecularium, sub districtu et limitibus civitatis et dioecesis Spirensis praedictarum commorantium, nec non viarum discrimina pontificalia in propria persona commode exercere posse non confidam: ne igitur propterea cultus divinus et sacramentorum administratio aliquod patiantur detrimentum, solicite providere volens, de literarum scientia, vitae ac morum honestate, rerum experientia et circumspectione aliisque laudabilibus probitatis et virtutum meritis venerabilis viri Antonii Engelbrecht, baccalaurei formati in theologia fide dignorum commendatione ac testimonio sufficienter edoctus, eundem Antonium praemissorum meritorum suorum intuitu ut et tanquam habilem et idoneum ad aliquam pontificalium dignitatem assequendum et obtinendum, tam sanctitati vestrae, quam reverendorum in Christo patrum et dominorum, sanctae Romanae ecclesiae cardinalium sacro collegio conjunctim seu divisim in Dei nomine nominandum et praesentandum duximus, prout nomino

Digitized by Google

et praesento, una cum eodem Antonio humillime et instantissime supplicans, quatenus sanctitas vestra de praefatorum Romanorum cardinalium sacri collegii consensu aut alias ex mera clementia sua eundem Antonium ecclesiae Termopolensi, in ultramarinis partibus constitutae, quae ad praesens pastore viduata verisimiliter creditur, in episcopum et pastorem praeficere et munus consecrationis per unum catholicum antistitem, vel extra etiam Romanam curiam constitutum, duobus aliis catholicis antistitibus coasistentibus, eidem Antonio rite impendi mandare et postquam munus consecrationis, ut praefertur, impensum fuerit, ut pontificalia in civitate et dioecesi Spirensi et alias extra dioecesim Spirensem, meo et successorum meorum et aliorum, quorum interest, expresso accedente consensu, etiam extra tempora a jure statuta, quotiens necessitas exigerit, libere ac licite exercere et quatuor minores ordines etiam diebus feriatis conferre possit ac valeat, sibi misericorditer indulgere dignetur de gratia speciali. Et ut praefatus Antonius, postquam in episcopum consecratus fuerit, juxta dignitatis pontificalis exigentiam decenter se sustentare valeat, eidem de alicujus subventionis auxilio more praedecessorum meorum providere cupiens, pensionem annuam ducentorum florenorum Rhenensium de et super fructibus, redditibus et proventibus mensae episcopalis ecclesiae meae annis singulis in festo nativitatis beati Joannis baptistae, in civitate Spirensi per me et successores meos eidem Antonio, aut ejus legitimo procuratori ad haec speciale mandatum habenti, persolvendam pro congrua portione et ejus decenti sustentatione, ordino et deputo, meque et successores meos ad praemissa omnia et singula in forma meliori sub fide praestiti juramenti astringo et obligo et pro potioris cautelae suffragio, non vi, dolo, metu, fraude seu aliqua sinistra machinatione circumventus, sed sponte, libere et ex certa mea scientia animoque deliberato, venerabiles et circumspectos viros, dominos Casparem Wirt, decretorum doctorem, Jodocum Ehinger, in utroque jure licentiatum, Matthiam Storre, Johannem Schutze, Wolfgangum Goeler, Balthasarem Bielstein, clericos Constantiensis et Spirensis dioecesium, in Romana curia causarum procuratores et solicitatores, absentes tanquam praesentes et quemlibet eorum in solidum, omnibus melioribus modo, via, jure, causa et forma, quibus melius possum et debeo, in procuratores meos constituo, ordino et deputo ad personaliter nomine meo et pro

Digitized by Google

me coram sanctitate vestra et sacro collegio praedicto et alias, ubi, quando et quotiens opus fuerit, comparendum omniaque et singula praemissa, tam conjunctim, quam divisim, verbo vel in scriptis proponendum, nominandum, praesentandum, supplicandum, petendum et obtinendum, in annuam pensionem ducentorum florenorum Rhenensium pro congrua et decenti sustentatione praefati Antonii de et super fructibus, redditibus et proventibus praefatae mensae meae episcopalis juxta ordinationem praedictam, ut praefertur, deputatam et per me et successores meos episcopos Spirenses pro tempore existentes eidem Antonio, quoad vixerit, vel ejus legitimo procuratori annis singulis in praefato termino sub excommunicationis aliisque sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, in cancellaria apostolica apponi solitis, integre persolvendam, reservationi et assignationi ac literarum apostolicarum desuper conficiendarum expeditioni expresse consentiens. Quodque in praemissis et circa ea non interveniat dolus, fraus, simoniae labes aut quaevis alia illicita pactio et corruptela et quodlibet aliud illicitum juramentum in praemissis et circa ea necessario praestari solitum, in animam meam jurandum et subeundum promittens per fidem meam modo praemisso loco praestiti juramenti pro me et successoribus meis de rato ac relevans eosdem procuratores et eorum quemlibet ab omni onere satisdandi, judicio sisti et judicatum solvi sub hypotheca et obligatione omnium bonorum mobilium et immobilium dictae mensae episcopalis, praesentium et futurorum, et qualibet alia juris et facti renuntiatione ad haec necessaria pariter et cautela. In cujus fidem praesentes literas exinde fieri et per notarium publicum infrascriptum subscribi sigillique mei appensione feci communiri. Datum et actum in castro meo Udenheym sub anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo vicesimo etc.

---

264. *Ludwig graf von Löwenstein vergleicht sich mit der gemeinde Arzheim wegen des kirchenbaues. Speyer, 1522 aug. 9.*

Wir Ludwig grave zu Lewenstein vnd herr zu Scharpfeneck, bekennen vnd thun kund menniglichen fur vns, vnsere erben, erbnehmer, nachkomenden vnd alle jnheltere vnserer herrschafft Scharpfeneck. Nachdem wir jetzt etlich jahr in jrrung gestanden mit den erbern vnd bescheidern, schultheissen, richtern, dorffmeistern vnd gemeinen beeder dorffer

Digitized by Google

Artzheim vnd Ranspach, dessen pfarr vnd kirchen bawes halb zu Artzheim, also dass sie vermeinden, dieweil wir die zweytheil der zehnten in der derselben markunge haben, dass wir darumb die zweytheil der pfarrkirchen, nemblich dass langwerk wieder bauen vnd decken sollen, dass wir aber der vrsach solches hievor nit geschehen, nit herkommen, auch an viel orthen vmb Artzheim der brauch nit ist, dass die zehnden herrn die pfarrkirchen bauen noch decken, darzu dass ein kleines cappellen, genant Serfflingen, die alt recht pfarr gemelter markung, vnd diese newe kirch allererst neulichen von den einwohnern, ohn vnser wissen, willen gebauet worden, zu thun nit schuldig sein vermeinden, daruff sie vns jrrung, gespenn vnd gebott in solchen zehnten zu legen vnd zu machen vnterstanden, doch vns zu leist mit geistlichen rechten zu Speyer furgenommen vnd dass wir vff heut datums zu beiden theilen nach volligender mass guthich mit einander vertragen, vereiniget, verrichtet haben. Nemlich sollen die gemelte schultheissen, gericht, dorffmeistere vnd gemein beder dorffer vns die angezeigten vnser zweytheil zehndenss ohn jrrung, schmehlerung vnd abruch, eingriff vnd einiger kirchen baw oder deckens, das wir in keinem weg schuldig sein sollen, geben vnd folgen lassen, derowegen wir vnd vnser obgemelte jnhaber des zehndenss denen kirchen pflegern, so jeder zeit zu Artzheim sein werden, alle vnd jegliche sanct Martins tag anderthalb malter korns, Speyrer mess, vom obgemelten zehnden geben vnd folgen lassen, vnd wir vnd gemelte vnsere erben an solcher pfarr vnd kirchen nichts zu bauen noch zu decken schultig seyn. Zu vrkund haben wir obgemelter grave Ludwig zu Lewenstein vnser einsigel gehangen an diessen brieff, vnd wir von Gottes gnaden Ludwig pfaltzgraff bey Rhein, herzog in Baieren, des heiligen Rohmischen reichs erztruchsess vnd churfurst etc. bekennen, nachdem die herrschafft Scharpfeneck sambt dem zehnden vnser eigenthumb vnd obgemelts graven Ludwigs mannlehen ist, dass wir solchen vertrag gewilligt vnd angenommen haben, dess zu vrkund vnser secret an diessen brieff gehangen, der geben ist an sanct Laurentzen abent, als man zahlte nach Christi vnsers lieben herren gebuhrt tausend funffhundert vnd im zwey vnd zwantzigsten jahr.

Digitized by Google

265. *Hadrian VI. pabst mahnt den Speyerer rath von dem drucke und der verbreitung der schriften Luther's ab. Rom, 1522 nov. 30.*

Adrianus papa sextus. Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. Non possumus non vehementer admirari pariter et dolere, dum consideramus Martinum Luther Germanum, quem, quamvis errantem oviculam nostram negare non possumus, eousque insaniae seu potius diabolicae praesumptionis prorupisse, ut contempta catholica doctrina ac sanctorum patrum traditionibus, nec non totius ecclesiae catholicae ritibus spretis omnibusque solitis in dubium revocatis, ipse complura nova atque contraria dogmata novasque haereses non tam introducere, quam veteres renovare fundamentumque aliud, quam positum est, ponere aliamque fidem, quam patres nostri tenuerunt, docere non sit veritus, quasi solus ipse Spiritu sancto afflatus, veritatem evangelicam nunc demum in fine saeculorum perspexerit ac patres nostri et prope tota fidelium congregatio, qui hanc Lutheri fidem nescivere, qui fide contraria, id est catholica, quam tenemus et usque ad mortem dimicare parati erant, tot jam saeculis in damnabili errore ac tenebris ignorantiae jacuerint. Miranda certe res est, in cor hominis illius hanc praesumptionem ascendere potuisse, ut ipse solus sibi plus ecclesiae doctoribus sanctisque patribus et toto fidelium coetu sapere videretur. Sed multo majori admiratione dignum reputamus, eundem Martinum, postquam in hoc baratrum superbiae, Deo propter peccata sua atque etiam nostra sic permittente, praecipitatus est, in natione nostra Germanica, quae ab initio, ex quo ad Dominum conversa fuit, semper religiosissima et catholicae fidei tenacissima, nec non pietatis erga Deum et caritatis justitiaeque erga proximos sincerissima cultrix fuit, non unum, nec paucos, sed, quod cum magno cordis dolore dicimus, prope innumeros homines utriusque sexus invenire potuisse, qui ejus stolidissima, nec minus perniciosa dogmata, quae antehac saepe cum suis authoribus ab ecclesia damnata fuisse constat, non solum patienter audire, verum et libenter amplecti vellent et quod amplius est, pertinaciter etiam armis defendere parati forent, qui libros ejus ejusque sequacium omnino perniciosissimos, veneno plenos, maledictis redundantes, spurcitiis, scurrilitatibus, contentionibus, amaritudinibus ubique scatentes et postquam in vim sententiae apostolicae et imperialis edicti saepe et pluribus in locis concremati sunt, certatim emerent, avide legerent, libenter audi-

Digitized by Google

rent, cum tamen vel ex hoc ipso, quod ejusmodi sunt, quales modo diximus, omnibus rationi et spiritui Dei vel paululum auscultantibus facile fuisset intelligere, eundem spiritum Dei suavem, benignum, mitem, veritatis et pacis amatorem et conciliatorem, scandalorum, contentionum et discordiarum pacificatorem, novitatum refugientem, ab eisdem libris eorumque auctoribus longissime abfuisse, imo contra spiritum malignum horum convitiis gaudentem ac dictae nationis prospero in via Domini cursui invidentem, ipsorum librorum authores ad talia evomenda exagitasse, quos a fructibus eorum cognoscentes, una cum perversis dogmatibus suis sicut mortem fugere et abhominari debuerant. Quid enim aliud homines isti quaerunt, quam scandala? Quid aliud hominibus persuadent, quam rebelliones, scismata bonorum, deriptiones, caedes, calamitates et ut uno verbo dicamus, suavis jugi Domini et sanctae obedientiae omni victoria praestantioris abjectionem? Idque sub specie libertatis, cum ipsi corruptionis servi manifeste comprobentur. Sed non est, filii, non est haec libertas, quam dominus coelestis suis in evangelio promittit, qua scilicet legi suae et suis in terra vicariis subjecti (quos et malos in cathedra Moisi sedentes sicut et se ipsum audire voluit) peccati servitutem evadimus, sed libertas, quam sibi lucifer ille quaesivit, dum altissimo, cui subesse debuit, par esse volens, sedem sibi ad aquilonem constituit, unde in ima inferni praecipitatus est. Qui finis procul dubio etiam Martinum Lutherum et omnes, qui ei adhaerent, manet, nisi celerius resipuerint et ad unitatem ecclesiae, a qua se damnabiliter segregarunt et extra quam tamquam arcam Noae nemo salvari potest, redire studuerint. Nec enim dubium est, istos et similes esse, de quibus sanctus apostolus Petrus loquebatur, cum praediceret, surrecturos inter fideles magistros mendaces, qui introducturi essent sectas perditionis, et eum, qui emit eos, Deum negaturi, introducentes sibi celerem perditionem, subditosque multos secuturos eorum luxurias, per quos inquiens via veritatis blasphemabitur et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur: quibus judicium jam olim non cessat et perditio eorum non dormitat. Ac paucis interjectis ait: Magis autem scilicet puniet Deus eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiae ambulant dominationemque contemnunt audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere blasphemantes. Quae, utrum istis conveniant, vobis judicandum relinquimus. Quapropter caris-

Digitized by Google

simi, quos in visceribus charitatis gerimus, vos in Domino nostro Jesu hortamur et per viscera misericordiae ejus rogamus et obtestamur, ut in errores illorum, quos apostolica providentia vobis quasi digito demonstravit, vos traduci non patiamini, sed potius tanquam filii electi et populus acquisitionis, vestigiis patrum nostrorum et omnium sanctorum, qui utique regiam veritatis evangelicae viam ingressi sunt, inhaerentes, doctrinam istorum perniciosissimam, perfidam, blasphemiam diabolicam et ut semel dicamus, in interitum trahentem cum suis authoribus tanquam infernam horreatis eorumque libros venenatos non solum ipsi non legatis, sed nec legentibus vel docentibus aures admovere velitis, aut ipsis Lutheranis, ad cor redire contemnentibus, ave dixeritis. Nec vero nos moveat, quum Lutherani ipsi sacrae scripturae verba dogmatibus suis passim admiscent, scientes, quod hoc ipsum omnes semper haeretici usurparunt, quorum nullus unquam novum dogma introducere visus est, quod non sacrae scripturae auctoritate constituere conaretur. Ut enim, qui veneni amaritudinem temperare volunt, illud melle aut alio grato sapore contegunt: ita isti, proprium virus coelestium verborum dulcedine linientes, illud simplicibus et rudibus animis propinant, ut ita demum eos facilius introxiare possint. Quamquam vix quemquam adeo simplicem esse credimus, qui, si vel paululum lumen vultus divini, quod super omnes homines signatum est, adpicere voluerit, non protinus intelligere possit, istos mendacii et erroris magistros esse, non veritatis, eosque hujusmodi novitates attentare, non quod salutem animarum quaerant, cum ipsi suas manifeste perdant, sed potius ut placentia dicendo et ea, quae in arcta via Domini hominibus carnalibus et animalibus difficiliora judicantur, sub specie christianae libertatis adimendo, mortifera dogmata sua ejusmodi carnalibus hominibus, quorum semper major numerus extitit, favorabiliora magisque credibilia reddant, et illos aeternae damnationis reatu, sibi caeterisque diffidentiae filiis praeparatae, secum involvant, sed idem procul dubio magistris istis eveniet, quod antecessoribus ipsorum, earundem vel aliarum haeresum authoribus sectatoribusque, quoties superbos intellectus suos adversus sententiam Dei extollere praesumpserunt, evenisse constat, qui ad tempus quidem, propter peccata hominum, prosperari et tanquam supra cedros Libani superexaltari, permittente Deo, visi sunt, sed ad extremum semper vicit mendacium veritas

Digitized by Google

et sapientia suaviter omnia disponens malitiam triumphavit. Caeterum quum videmus, hujusmodi venenatorum librorum impressio, distractio atque lectio quantum verae fidei ac pietati longe lateque obfuerit, vos, quibus insignis istius civitatis gubernatio credita est, in Domino hortamur, ut in virtute sanctae obedientiae et sub contestatione divini judicii requirimus, ut solitae vestrae erga Deum dictamque ejus fidem pietatis et singularis prudentiae memores, omnibus modis providere curetis, ne apud vos, aut in territorio civitatis vestrae, hujusmodi libri vel impressi ultra divendantur, vel nondum impressi deinceps imprimantur. Imo vero quotquot in dicta civitate vestra inveneritis, juxta sedis apostolicae sententiam et imperiale edictum comburi faciatis, alioquin si perversitatem impressorum vestrorum, qui pecunia, uti credendum est, a Lutheranis corrupti, si vera sunt, quae audivimus, Lutheranorum opera promptissime imprimunt, quae vero a catholicis pro veritate contra illos scribuntur, imprimere nequaquam volunt, corrigere et emendare neglexeritis, denuntiamus vobis, quam divinam eamque terribilem ultionem, et si alioquin christianissimi sitis, non evadetis. Nec enim vos Deo satisfacere putaveritis, si vos ipsi fidem ejus integram et illibatam conservetis, nisi et pro virili operam dederitis, ut quidquid fratres vestros scandalizare et in hujusmodi errores inducere aptum sit, celerius per vos de medio tollatur. Qui enim non est cum Domino, contra eum esse probatur, et qui malum hujusmodi, cum possit, non excludit, illud coram Deo ipsemet committere et inferre censetur. Jam tempus est, quo, qui in vobis probati et electi sunt, se manifestare, quo optimus quisque vestrum vel sponte se pro domo Domini murum opponere debeat, ut coronam gratiae, quae strenue se gerentibus promittitur, ab eodem Domino consequi mereatur. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die ultima novembris MDXXII., pontificatus nostri anno primo. — Dilectis filiis, consulibus et senatui civitatis Spirensis. — Praesentabatur anno XXIII., sabbatho post Agnetis, qui erat XXIV. januarii.

---

266. *Hadrian VI. pabst ermahnt den bischof Georg zu Speyer, das lutherthum auszurotten. Rom,* 1522 *dec.* 1.

Adrianus papa sextus. Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Multa quidem gravissima et moles-

Digitized by Google

tissima (pericula in hiis pontificii nostri temporibus?) quotidie sese offerunt, sed nulla res aeque nos angit atque (sic) infelix Lutheranae sectae prosperatio, quae post sedis apostolicae paterna primum monita, deinde etiam sententiam, non sine consilio optimorum et doctissimorum virorum et diversarum universitatum legitime contra Martini Lutheri dogmata latam et denique post carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum regis catholici in imperatorem electi et dilectorum filiorum, nobilium virorum, sacri imperii Romani principum electorum atque aliorum imperiale edictum, non solum extincta non est, verum etiam multo amplius invaluit multoque latius sese extendit. Cujus rei causam aliam cogitare non possumus, quam illorum, qui se eidem sectae mûrum opponere et sanctissimum imperiale edictum viriliter exsequi debuissent, torporem atque negligentiam. Qua in re negari non potest, multo majorem nos ecclesiasticos praelatos, quam saeculares principes reprehensionem mereri. Nam etsi omnes christiani fidei, quam profitentur, patrocinium ac defensionem pro virili agere tenentur, multo tamen arctius nos ecclesiasticos praelatos vinculum hoc stringit, quorum proprium officium est super greges nobis creditos omni cum diligentia vigilare agrumque dominicum cautissime custodire, ne vel illum lupi rapaces haeretici invadant, vel in hoc inimicus homo nocte errorum zizaniam superseminet. Invitari quodammodo videtur propheta daemones et pravos homines, illorum cooperatores ac instrumenta, ut per occasionem negligentium praelatorum gregem dominicum absorbeant, dum inquit: Omnes bestiae agri venite ad devorandum, omnes bestiae saltus, speculatores ejus coeci omnes nescierunt, universi canes muti non valentes latrari. Mirandum certe, vel potius horrendum, quod damnis rerum fluxarum et cito pereuntium tantopere affligamur, ob eas contentationes et lites immortales et quique etiam bella adversus fratres vel etiam subditos nostros suscipiamus, animarum vero nobis commissarum deque manibus nostris in districto judicii die requirendarum et pro quibus Christus Dominus noster praetiosum sanguinem suum effudit, perditione tam saeviter et aequanimiter feramus, pro hiis servandis pauci ex nobis sint, qui viriliter aut constanter agere velint, quin potius omnes cunctantes, alius alium exspectamus. Quisnam Dei causam pro sua suscipere debeat? scilicet aequi aestimatores. Magnificimus, quae Christus contemnere docuit et contra vilipendere

Digitized by Google

nos ea monstramus, pro quibus ille sanguinem suum effudit. Quis non videt, quam longe hoc sit a veri pastoris officio deviare? Oves nobis ad custodiendum et salvandum creditae in conspectu nostro a pessimis istis lupis Lutheranis quotidie laniantur et vix invenitur ex nobis unus aut alter, qui illos efficaciter a divinis caulis arcere studeat? Omne caput hodie languidum et omne cor moerens, a planta pedis usque ad verticem capitis, non est in populo Dei sanitas, omnes in viam suam declinaverunt. Nec mirum, quia nos pastores ignoramus intelligentiam, vel certe sic nos gerimus, ac si ignoraremus. Cum igitur nos tales simus pastores, an non justissimo Dei judicio fieri putandum est, ut tales etiam erga nos sint greges nostri, hoc est contumaces et rebelles et in locum absolutae obedientiae, quam nobis ex Dei praecepto exhibere deberent, calcanca contra nos levare non erubescant? Provexit nos zelus domus Dei et justus dolor noster, ut haec aliquanto asperius, quam moris nostri sit, diceremus, quae fraternitas tua non quasi contra se, sed contra totum ordinem nostrum, hoc est ecclesiae praelatorum in cor dicta existimet, ut unusquisque nostrorum, quatenus se praemissa contingant, agnoscere et emendare cura Dei adjutorio studeat. Ipsam vero fraternitatem tuam in Domino hortamur et per viscera misericordiae Domini nostri Jesu Christi perque praetiosum ejus sanguinem obsecramus obsistamurque, omnem authoritatem, curam, studium, vigilantiam in hoc adhibere velit, ut Lutherana ista (lues?), quae propter novissimam sedis apostolicae contemnationem ac priscis summis pontificibus sanctisque patribus Spiritu sancto afflatis frequenter cum suis auctoribus damnata fuit, primum quidem ab iisque, quibus ipsa Deo rationem redditura est, hoc est subditis suis, deinde ab universa natione nostra Germanica, quae usque aliquot proximos annos semper fidelissima fuit, radicitus exstirpetur, et sane si id solo gladio spiritus, quod est verbum Dei, fieri possit, Deo gratius fuerit et nobis multo jucundius. Sicubi tanta fuerit errantium obstinatio, ut hoc gladio perversae eorum voluntates et cordis duritia expugnari nequeat, jam demum sacrorum canonum et legum imperialium distinctionem censemus adhibendam et juxta evangelicum praeceptum scandalizantia bonos membra a toto corpore secanda. Non exspectet fraternitas tua tota vita sua sibi datum iri occasionem, qua vel Deo gratius obsequium praestare, vel suae subditorumque suorum saluti rectius

Digitized by Google

consulere, vel denique uberiorem sibi in coelis mercedem reponere possit. In calce autem epistolae fraternitatem tuam omnino in Domino requirimus, ut quid ipsa de modo sectam istam exterminandi sentiat, nobis per literas suas quam primum explicare curet, ut, si quid ex parte nostra providendum fuerit, celerius id per nos fieri possit. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die prima decembris MDXXII., pontificatus nostri anno primo. — C. Hezius. Venerabili fratri Georgio, episcopo Spirensi.

---

267. *Georg bischof zu Speyer verleiht die dortige St. Georgen pfarrei. Udenheim.* 1523 *aug.* 5.

Georgius Dei gratia etc. Universis et singulis plebanis, viceplebanis et divinorum rectoribus, per civitatem et dioecesim Spirensem nostram ac alias ubilibet constitutis, nostrae jurisdictioni subjectis, salutem in Domino. Cum superioribus temporibus pro universalis ecclesiae unione, pace et tranquillitate inter felicis recordationis Nicolaum papam quintum ex una et Fridericum Romanum imperatorem semper augustum aliosque ecclesiasticos et saeculares principes inclitae nationis Germanicae partibus ex altera, diversa rationabilia et utilia statuta et ordinationes de partibus ipsis hincinde approbata, laudata, conclusa, acceptata et concordata, facta et edita, ac postea per praefatum Nicolaum papam quintum auctoritate apostolica ex certa ejus scientia confirmata fuerint, prout in literis apostolicis desuper confectis plenius dignoscitur contineri, et quia inter reliqua . . . . praedictorum statutorum et ordinationum cavetur, quod, quotiescunque aliquod vacaverit beneficium de januarii, martii, maji, julii, septembris et novembris mensibus, aut alias dispositioni sedis apostolicae praedictae specialiter reservatum et reservatio infra tres menses a die notae vacationis in loco beneficii evidenter non apparuerit, quod alicui de illa apostolica auctoritate provisum fuerit, quod ex tunc et non antea ordinarius vel alius, ad quem illius beneficii dispositio pertinebat, de eodem beneficio libere disponere poterit, verum igitur pastoria mortua nuncupata ecclesiae parochialis sancti Georgii, civitatis Spirensis, obitu quondam Pascasii Passmann, ultimi illius, dum viveret, possessoris, ante sine phara menses vacante, cujus quidem collatio, provisio, praesentatio, institutio aut quaevis alia dispositio ad nos et successores nostros pro

Digitized by Google

tempore existentes pleno jure spectare et pertinere dignoscitur: nos juxta statuta et ordinationes praedictas, non solam ad trimestre, imo quasi ad semestre tempus a die notae vacationis exspectavimus, an alicui de auctoritate apostolica legitime provisum extitisset, et quia de provisione hujusmodi apostolica nusquam in loco pastoriae praedictae apparuit, neque de eadem nos tanquam loci et dictae pastoriae verus ordinarius et collator aliquo modo certificati sumus. Quamobrem praefatae pastoriae oneribus, juribus et indemnitati, ut ex officio humeris nostris imposito tenemur consulere, volentes praefatam pastoriam mortuam nuncupatam, modo praemisso vacantem, honorabili in Christo nobis devoto, dilecto domino Henerico Hoffmann, presbytero nostrae dioecesis Spirensis, de vita et moribus apud nos plurimum commendato, coram nobis personaliter constituto et id flexis genibus petenti, cum omnibus juribus et pertinentiis suis auctoritate praedicta contulimus et assignavimus, ac de eadem per libri nostri in manus suas traditionem providimus, instituimus et investivimus, prout Dei in nomine conferimus, assignamus, instituimus et investimus per praesentes, jure nihilominus, quod alteri ad dictam pastoriam competierit aut quovis modo competere poterit, et specialiter dictae parochialis ecclesiae et illius plebani et successorum suorum salvo et illaeso. Quocirca vobis omnibus et singulis supradictis et vestrum cuilibet praesentium literarum nostrarum vigore requisitis in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, quatenus praesentatis et receptis vobis et per vos praesentibus nostris literis, praefatum dominum Henericum Hoffmann in et ad pastoriam saepedictam recipiatis et admittatis, ipsumque vel procuratorem suum legitimum in illius juriumque et pertinentiarum omnium ejusdem realem, corporalem et actualem possessionem ponatis et inducatis, ac de fructibus, redditibus et proventibus praenominatae pastoriae respondeatis et ab his, quorum interest, integre responderi faciatis, adhibitis in et circa praemissa sollemnitatibus debitis et consuetis. In quorum fidem sigillum nostrum secretum praesentibus est appensum. Datum ex castro nostro Udenheim die Mercurii mensis augusti quinta, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo tertio.

Digitized by Google

268. *Hadrian VI. pabst fordert den bischof Georg zu Speyer auf, die dem erzherzoge Ferdinand von Oestreich gegen die Türken gewährte unterstützung zu fördern. Rom.* 1523 *sept.* 4.

Hadrianus papa sextus. Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Postquam Domino placuit, his duris et calamitosis temporibus universalis ecclesiae, sponsae suae gubernacula nobis committere, in hac cogitatione dies noctesque versamur, ut injunctum nobis onus, prout decet, sustinere atque perferre possimus. Nec solum facultates omnes nostras, quamvis tenues, et omnia temporalia bona, sed vitam quoque ipsam pro ejusdem ecclesiae ac christianae fidei defensione, ut pium patrem ac verum pastorem decet, exponere parati sumus, sperantes in eo, cujus causa agitur et qui nos gregi suo praeesse voluit, quod fragilitati nostrae tale auxilium suae gratiae inspirabit ac tantas nobis vires suggeret, quod perfidi Turcae, christianam fidem evertere atque destruere toto conatu molientes, non solum a tam impiis ac temerariis ausibus retrahentur, sed etiam nostris catholicorumque regum et principum viribus, sanctissimo foedere unitis ac congregatis, profligabuntur ac graves temeritatis ac perfidiae suae poenas dabunt. Proximis itaque mensibus considerantes Turcarum tyrannum, Belgrado per dolum et proditionem ab eo occupato, liberum iter ad regnum Hungariae habere, volentesque providere, ne dictum regnum invadere atque opprimere possit, dilectum filium nostrum Thomam, titulo sancti Sixti presbyterum cardinalem, legatum de latere nostro, cum non parva pecuniarum summa, illuc destinavimus. Insuperque dilecto filio, nobili viro Ferdinando, archiduci Austriae, desideranti de christiana republica bene mereri ipsorumque Turcarum conatibus valido cum exercitu sese opponere, non solum cruciatam, verum etiam tertiam partem omnium fructuum unius integri anni cathedralium et metropolitanarum ac aliarum ecclesiarum et beneficiorum omnium saecularium et regularium in archiducatu praefato ac aliis dominiis, provinciis, terris et locis ipsi subjectis consistentium, per collectorem tunc expressum exigendam et eidem Ferdinando pro necessaria christianae fidei defensione et sancta contra dictos Turcas expeditione duntaxat consignanda, per alias nostras literas concessimus, prout in illis plenius continetur. Licet autem speremus ac certo nobis persuadeamus, fraternitatem tuam omnem opem atque operam, ut ipse Ferdinandus tam pium et sanctum negotium prosequi

Digitized by Google

possit, praestituram et eidem collectori in hujusmodi tertiae partis fructuum exactione astituram, cum id omne, quod exigetur, in protectionem fidei et non in alios usus convertendum sit: per praesentes tamen eandem fraternitatem tuam hortandam et requirendam duximus, ut eidem collectori, dum pro parte sua requisitus, in hujusmodi tertiae partis fructuum exactione faveas et assistas, ut omni sublato impedimento, mandata nostra sibi injuncta libere exequi valeat. In quo rem devotione tua dignam ac nobis et eidem sedi gratissimam, ipsique altissimo Deo quam maxime acceptam efficies, nec solum ipse Deus tibi in hoc et in futuro saeculo dignam mercedem retribuet, sed etiam nos oblata opportunitate, qua honori commodisque tuis consulere possimus, hujus pii ac debiti officii tui memores erimus. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die quarta septembris MDXXIII., pontificatus nostri anno secundo. C. Hezius. — Venerabili fratri Georgio, episcopo Spirensi.

---

die vngenad gebetten vnd das sie sich als gehorsam vnderthan halten wolten, doch nibt destoweniger vns glaublich furkhomen, das etlich sollich trewlich warnen, erindern vnd verpiethen, nit allein verachtet vnd zuruck gestelt, sondern auch andern auss dieser vngehorsamen vnd trutzlichen handlung sich zu sollich ausslauffen vnd vngehorsame begeben, also das etlich von wegen solcher irer vngehorsame mit gelt gestrafft vnd doch durch vnsern landtfaut fernher erinderung, verpiethen vnd trawhen beschehen mit genugsamer anzeygung vnd aussfurung, das wir das nit leyden wurden noch khuntten vnd wo sie nachmals gedechten bey vns in gehorsam zu pleyben, das sie sich diess ausslauffens enthalten musten. Nachdem wir nun etlich diser vngehorsamen fur vns khomen lassen, haben wir auss derselben antwort genugsam versten khunen, das dise vngehorsamen vnser gnad vnd guttigkeit missbraucht vnd ire sachen daruff gesetzt, vns dahin zu pringen, das wir vnsers hern vnd vorfarns, auch vnser selbs vnd aigen zusagenn, so der kaiserlichen majestet vnserm aller gnedigsten hern in reychs abschieden beschehen, kein gehorsam noch genugen thun khunten. Vnd dieweyl alles verbitten vnd warhnen vergebenlich vnd sie vns vnderstanden gegen vnser oberkeyt in hohe vngnadt zu pringen, das dan vns keins wegs gelegen, diese vngehorsamkeyt der vnsern also zu gedulden, so vns auch wol bewusst, was veraths hievor vnserm stiefft auss vngehorsame vnd trutz begegnet vnd zugestanden vnd das dergleychen vnrugige gemuether in menschen gedechtnuss zum zweyten mal vnsern stiefft in schweren verath, abfal vnd gefar gefurt, wie dan die selben vrsachen an irem leyb, leben vnd guthern gestrafft weren worden, vnd die vnschuldigen zum theyl der schuldigen entgelten mussen. Zu dem das sich auch in zeyt vnser regirung mit dem widertauff von etlichen vffwicklern gleychfalss zutragen, indem dan wir mit dem schwert vnd eintziehung der gutter vermog des heyligen reychs ordnungen vnsern amptleut handeln mussen lassen, welchen allem dan dise absunderung vnd vngehorsam furnehmen nit vngleich zu achten. Darumb weren wir nit vnbillichen daruber bewegt worden, das wir inen gebiethen lassen, das die, so in solchen vngehorsame verharen, in eigner benampten zeyt all ir narung im stiefft verkauffen vnd dasselbe raumen sollen, das aber vff bitlich anhalten solich zit etlich mal er-

Digitized by Google

streckt, damit sie desto bass vnd nutzlicher auss vnserm stiefft das ir bringen khunten, were auss solcher gnaden nicht anders gevolgt, dan das sie iren willen erlangt vnd bissher in dem kein gehorsame geleyst hatten, sondern also vber vnser rhet vilfaltige, trewe ermanung, erinderung vnd gutliche handlung, bissher vns zu hone, trutz vnd verkleynerung, alles vnverruckt, sitzen blieben. Zu dem das hieneben vns glaublich angelangt, das mitlerzeyt die vngehorsamen sich rottirt vnd schickung hin vnd wider gethan, auch, so vil an innen, vnderstanden haben vns als iren von Got gegeben herren, in vnsere gnedigen herrn vnd geliebte freundt, chur vnd fursten auch andere einzubilden, als wolten wir sie vergwaltigen vnd sie ires vatterlandts verjagen, daran sie doch vns vnrecht vnd als vntrew vnderthanen gethan vnd thun, welches nit allein von denen, so andern herschafften mit dem leyb zugethan, sondern auch denen, so vnser vnd vnsers stieffts leybaygen sindt, auch von Gott in der geistlichkeyt kein andere obrickeyt haben, beschehen sein sol. Darumb wir dan gleychwol mer dan gnugsam vnd vilfaltiglichen verursacht mit disen vngehorsamen, so also vns als iren rechten, naturlichen vnd von Got gegeben obrickeyten irem aygen zusagen vber vnser gnedige gedult, ja auch vber alle treffliche handlung vnd ansuchen, so inen zu gutten furgemalt vnd gesucht worden, noch vff disen tag also zu hochmut, trutz vnd verkleynerung in solcher vngehorsam verharren vnd vnverruckt sitzen pleiben, alles nach der streng zu handlen vnd gegen inen furzunemen, das vns alle naturliche keyserliche vnd gotliche recht zu geben vnd zu lassen, weren auch des also gegen inen gestrenglich furzunemen desto vnbeschwerter, damit ander sich zu spigeln haben mochten. Dieweyl wir aber gnediglich erwogen, das vnder disen vngehorsamen vffwiglern vnd vnrugigen gemuethern vil junge, vnverstendige, auch vnerfarne personen man vnd weyblichs geschlechts sein, so zu dieser vngehorsamen verstockung mehr angereitzt vnd gesterckt, dan gepurlich vnderwisen vnd also durch soliche vngehorsame leut verfurt worden, so wollen wir die straff, so vns wider solche bisher vngehorsamen von allen rechten gepurt, biss vff fernher erkhundigung dissmal auss gnaden anstellen, doch dermassen, das wir vns einen namhaften abtragk von disen vngehorsamen hiermit ausstrucklich vorbehalten haben wollen. Damit dan ferners wir nicht desto

Digitized by Google

weniger bey Romischer keyserlicher majestet vnsers aller gnedigsten herrn vnd des heyligen reychs gegeben, bewilligten vnd angenommen abschieden gehorsamlich bleyben vnd dem, so vil an vns, biss vfl kayserlich majestet des heyligen reichs oder sonst ordentliche enderung, gehorsamlich geleben mogen, so wollen wir alle ihenigen, so in diser vngehorsame verhart vnd bissher vnsere gericht haben helfen besitzen, in bedencken, das wir zu denselben vns jderzeyt als mer verstendigen, mehr gehorsam versehen thun, vnd denen sollich vngehorsam weniger gepurt, hiermit auss vnserm gerichten gesetzt haben. Darneben so gebiethen wir allen vnd jedem vnsern vnderthanen, hindersessen vnd verwanthen, man vnd weyblichen geschlechts, jung vnd alt, gegenwertigen vnd abwesenden, gantz ernstlichen vnd bey ides pflichten vnd aiden, wie sie vnd ir jedes vns vnd vnserm stiefft verwandt vnd zugethan vnd so hoch wir jedem zu gebiethen haben, das ir sampt vnd sonder niemandt vssgenomen ausserhalb vnsers stieffts seine pfarliche recht nit suchen vnd dises ausslauffens gentzlich vnd gar enthalten sollen, dergestalt, wo ein oder mher personen wider diss vnser ernstlich gebot vnd verbot hinfuro thun oder etwas vndersteen vnd daruber erfaren, betretten vnd funden wurden, gegen denselbigen wollen wir als meyneydig vnd trewloss vngehorsamen, wie sich gepurt, handlen, vnd darneben zu gewarten sie aller gemein wasser, won vnd waidt zu entsetzen. Dieweyl auch in pfleglicher gepurender beywonung in aynem oder mehr vnsern flecken zwuschen den nachparn desshalben zweyung vnd vnruhe sich zutragen, darauss nicht gewissers dan vffrur, vnlust vnd mercklicher nachteyl entsteen mocht, das wir dan nie gern gehort vnd mit fleyss auch ernsthichen jederzeyt gern verkhumen sehen. Derhalben so wollen vnd gebieten wir allen vnsern vnderthanen, alt vnd jung, man vnd weybs geschlechts, niemandts vssgenommen, das sie beyeinander friedlich vnd nachbarlich wonnen, keyner den andern desshalben in vngutten gemeynen noch zu vnruhigen vndersten in kein weyss oder weg, dan so wir desshalben zerruttung, spaltung vnd emporung spuren vnd befinden solten, so wollen wir jederman vnd meniglich gewarnt haben, das wir nach derselben anfengeren, vrsachern vnd vffwigklern greyffen vnd die als vffrurer vnd meuthmacher wider vns vnd die vnsern gestrenglichen straffen lassen wollen. Damit nun niemandt sich eyner vnwissen-

Digitized by Google

heyt in den obgeschrieben feelen eynem zu entschuldigen haben moge, so haben wir vnserm hoffmeister, rhetten vnd amptleutten gnediglichen vnd mit ernst bevolhen, das sie disen vnsern stracken geheyss vnd bevelch vnd ernstlich gepot vnd verbot an orten vnd enden vnsers stieffts vnd obrigkeyt, so diss die sonderlichen notturfft erfordern thut, mit allem vleyss verkhunden, anzaigen vnd publiciren sollen vnd wollen, in dem allem beschicht neben der schuldigen gebur, vnser ernstlich meynung. Zu vrkhunt mit vnserm secret insiegel hieunden versiegelt. So geben ist zu Kisslaw montags Galli abbatis anno millesimo quingentesimo quadragesimo secundo.

---

288. *Philipp II. bischof zu Speyer ermahnt die Speyerer vom glauben ihrer väter nicht abzuweichen. Udenheim,* 1543 *mai* 12.

Vonn Gottes gnaden Philipp bischove zu Speyer etc. Vnserenn freuntlichen grus zuvor. Ersamen, weissen, lieben getrewenn. Wir haben ewer schreibenn vnnd antwort vff die werbung der wurdigenn, hochgelertenn, vnnsers vicarienn inn der geistlicheit vnnd cantzlers vnnsert wegenn nehst vergangenen vastenn ann euch beschehenn, sampt einer beiverwartenn schriefft, was frater Michael Dillerus zweier articul halben gepredigt, nach der lenng horenn verlesenn. Nachdem nuhn gedachter Dillerus sich wol zu erindern, das neben anndern disse zwenn articul hiefur durch etliche, so vnnser lebliche vnnd ruige deutsche nation inn spaltung, zwitracht vnnd vnainigkeit vnnderstanden zu pringen vnnd zum theill pracht habenn, gleichwol etwas weitleuffiger ingefurt vnnd das dieselbigen nit allein durch etliche heilige concilia zuvor, sonnder volgends gelerte, geschickte vnnd erfarne der Teutschenn nation, auch Franckreich, Italien, Engelland vnnd andere mehr, vermittelst der hailigen ewangelien vnnd nach apostolischen biblischen vnnd der alten heiligen, vonn den christlichenn kirchen angenuhmen vetter lere, bestendiglichen abgeleint, wellicher ableinung, wie wir bericht, bemelter Dillerus, als er zum predigen vonn der geistlichenn oberkait zugelassenn gewesenn, vyll gelesenn vnnd mehr mals sich horenn lassen, mehr gegrunt zu sein, hettenn wir vnns nit versehenn, das er Dillerus vber diss auch in bedencken, wie gnediglichenn wir mit ime, als er sich des predigenn ausserhalbenn gewonlicher zeit vnndernuhmen, reden vnnd handlen vnnd was zu sagenn er vns daruf thun

Digitized by Google

lassenn, solliche vns vberschickte articull inn seynem predigenn, anders dann hiefur vnnd nuhn vill jar inn der gemeinen catholischen christlichen kyrchen herkomenn, treiben solt. Aber wie dem, so ist ann euch vnnser freuntlichs vnnd gnedigs gesinnen vnnd begeren, ir wollent im fussstapffen ewer elternn verbleiben vnnd euch vom christlichen vatterglaubenn vnnd entschlussen der heiligenn concilien vnnd loplichen herkomendenn geprauch der heiligenn catholischenn, christlichenn kirchenn, auch angenohmen abschied zu Augspurg anno Domini dreissig, nit sundernn, bei dem wir auch euch als ewer bischof bei Gott vom hymell vnnd gemeyner catholischen kirchen, kaiserlichen vnnd koniglichen maiestat, bei denn benachparentenn herschafftenn vnnd sonnst zu verantworten habenn. Ferner als inn ewerm schreibenn clage vber die pfarher bei euch, dergleichenn die reformation vnnd was des heiligen reichs abschied desshalbenn mitpringen, angezogen etc. Habenn sych die pfarher annders dann inenn gepurt, geschickt vnnd gehaltenn vnnd diss ihr an vns gelangt, wolten wir weg gesucht habenn, damit dieselbigenn gewent. So vil aber des hailigenn reichs abschid vnnd darin vermelte reformation belangt, wollen wir euch gnediger vnnd freuntlicher mainung nit verhaltenn, das der hochwurdigst inn Gott vatter vnnd hochgeporn furst vnnd herr, herr Albrecht, cardinall, vnnser ertzbischof, metropolitan, churfurst vnnd primas etc. vorlengst deshalb inn arbeit, auch vns vnnd andern seiner gnaden suffraganien vnnd coepiscopis schreibenn vnnd vberschickung thun lassen, da wir neben iren gnaden vnnd andernn zu dem das inn angesetzten concilio zu Triennt davon auch aller gepur vnnd notturft gehandelt mag werdenn, vermittelst gotlicher hilf alles das helfenn, bedenncken vnnd furnehmen wollen, das zu furderung Gottes ehr, erhaltung fridens vnnd anrichtung eines gotseligen wesens dienen mag. Das wir euch, denn wir jederzeit guthen willen zu beweisen sonders geneigt, hinwider gnediger freuntlicher meynung nit verhalten wollen. Datum Udenheim sambstags nach Exaudi anno Domini XLIII.

---

289. *Philipp II. bischof zu Speyer gestattet dem neugewählten bischofe von Augsburg, Otto, die Speyerer domsängerei zu vergeben. Udenheim,* 1543 *aug.* 19.

Philippus Dei gratia episcopus Spirensis etc. reverendo in Christo patri et amico nostro charissimo, domino Othoni

electo et confirmato Augustano, nec non cathedralis nostrae ecclesiae Spirensis canonico et cantori etc. salutem in Domino sempiternam. Ut eandem cantoriam tuam, cujus collatio, provisio et quaevis alia dispositio ad nos, dum vacat, pleno jure pertinere dinoscitur, in favorem venerabilis domini Christophori a Munchingen, ejusdem cathedralis nostrae ecclesiae Spirensis canonico et custodi, praepositoque sancti Guidonis ibidem etc. resignare possis et valeas, tibi vel procuratori tuo legitimo praesentium tenore nostrum praebemus consensum pariter et assensum, ita tamen, quod in hujusmodi resignationis negotio non interveniat fraus, dolus, symonica pravitas aut quaevis illicita pactio. In cujus rei fidem sigillum nostrum secretum praesentibus est appensum. Datum in castro nostro Udenheim decima nona mensis augusti, anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo tertio.

---

290. *Carl V. kaiser befiehlt den geboten und verboten des bischofes zu Speyer in dessen hochstifte zu gehorchen. Speyer,* 1544 *mai* 7.

Wir Carl der funfft von Gottes gnaden Romischer kaiser zu allen zeitten merer des reichs etc. bekennen offentlich mit diesem brief vnd thun kundt allermeniglichen. Nachdem vns der erwirdig Philips, bischoff zu Speyr, vnser furst, rath vnd lieber andechtiger diemuetiglichen anbracht, wie daz verschiener jare hero etliche seine vnd seines stiffts vnderdanen vnd hintersesser angefangen wider seine verbot in die vernachbarte flecken, so sich der neuwen religion vnterzogen, auszulaufen vnd jre pfarliche recht an denselben orten, so der neuwen religion anhengig, ausserhalb seiner andacht stifft vnd obrigkeit zu suechen vnterstanden, dadurch seine andacht zu hailsamer erhaltung einigkeit, ruhe vnd fridens vnd allerlai beschwerliche zerrutlichkeit, zwaiunge, empörung vnd vffrurer zwischen den gehorsamen vnd vngehorsamen zu furkommen hochlich verursacht werden, ernstliche, schriftliche mandaten vnd verbott seinen vnterthanen des orts gesessen offentlichen verkundigen vnd furhalten zu lassen, also vnd dermassen geschaffen vnd gestalt, so wenig oder vil daruber jre pfarliche recht an verbotten orten ausserhalb dero stifft suechen vnd in jrer vngehorsam verharren wurden, daz dieselbigen als vngehorsame, der obrigkeit gepot vnd verpot, dadurch wasser, wohen

Digitized by Google

vnd waid entsetzt vnd aus seiner andacht stifft vnd obrigkeit ziehen solten: so hetten aber etliche hohen vnd niedern standts vnderstanden, vnd noch, sich sainer andacht vnderthanen vnd hintersessen, so also in obbestimpter vngehorsame verharren thetten, in krafft der leibaigenschafft, in schutz vnd schirm anzunemen vnd sie wider jene, als des orts ordentliche obrigkeit zu verthaidingen vnd zu verfechten mit etwas ernstlichem zuschreiben, alles vnserm kaiserlichen landsfrieden, reichsordnungen vnd sonderlich den jungsten abschied zu Regenspurg zu wider vnd jene vnd seinem stifft Speyr an seinen vnd desselben obrigkeit vnd gerechtigkeit zu schmelerung vnd nachtheil, vnd vns darauf diemuetiglichen angerueffen vnd gebetten, daz wir jene vnd seinem stifft hierinne mit vnser kaiserlichen hulff vnd furstehung zu erscheinen genadiglich geruechten. Wann vns nun als Romischer kaiser gepurt, einen jeden bei seiner obrigkeit zu handthaben, dess auch gentzlich gemeint vnd dann an jene selbs billichen ist, daz ein jeder standt im heiligen reich bei seinen rechtmessigen, billigen gepotten vnd verbotten von meniglichs vnbeschwerdt vnd vnverhindert bleibe: demnach haben wir aus jetz ermelten vnd andern trefflichen vrsachen vns darzu bewegendt vnd in ansehung der getreuwen, nutzlichen vnd fleissigen dienst, so der obgedacht vnser furst vnd rath, Philips bischof zu Speyr, vns vnd dem heiligen reich bis anher manichfaltiglichen gethan vnd bewisen hat vnd furbass wohl thun mag vnd auff sollich sein diemuetig, zimliche bitt fur vns vnd vnsere nachkommen am reiche jme bischoff Philipsen, seinen nachkommen vnd stifft Speyr mit wolbedachtem mute, guetem rath vnd rechten wissen diese sondere gnad vnd freyheit gethan vnd gegeben, thun vnd geben die auch jme, seinen nachkommen vnd stifft Speyr hiermit von Romischer kaiserlicher macht vollkommenheit, wissentlich in krafft diess brieffs, meinen, ordnen, setzen vnd wollen, daz hinfuro keiner im heiligen reich, der sey hoch oder niedern standts, den obgemelten bischoff Philpsen, seine nachkommen bischoffen vnd den stifft Speyr in ihren nothwendigen, zimlichen, pilligen gebotten oder verbotten aus keinerlei vrsachen, wie die erdacht werden mochten, beschweren noch verhindern soll, gebieten auch herauf allen vnd jedlichen churfursten, fursten, geistlichen vnd weltlichen, prelaten, graven, freyen, herrn, rittern, knechten, hauptleuten, landt-

Digitized by Google

vogten, vitzdomben, vogten, pflegern, verwesern, amptleuthen, schultheissen, burgermeistern, richtern, rethen, burgern, gemeinden vnd sonst allen andern vnsern vnd des reichs vnderthanen vnd getreuwen, in was wirden, standes oder wesens die sein, von Romischer kaiserlicher macht, ernstlich mit diesem brief vnd wollen, daz sie obgedachten bischoff, seine nachkommen vnd stifft Speyr bei obberurten jren gebotten vnd verbotten vnd dieser vnser freyheit vnd begnadigung vnbeschwert vnd vnverhindert lassen, auch jre andacht vnd des stiffts Speyr vnterthanen, hindersessen vnd angehorigen wider jre ordentliche obrigkeit durch kainerley vrsachen, leibaigenschafft, verwandtnus, schutz oder schirm willen nit annemen noch verthaidigen in kainem wege, als lieb jnen allen vnd ainem jeden sey vnser vnd des reichs schwere vngnade vnd straffe vnd darzu ain pene, nemlich funffzig marck lottiges goldts zu vermeiden, die ain jeder, so offt er freventlich dawider thete, eins halb in vnser vnd des reichs cammer vnd den andern halben thail gedachtem bischoff, seinen nachkommen vnd stifft Speyr vnablesslich zu bezahlen verfallen sein soll. Mit vrkundt diess briefs besiegelt mit vnserm kaiserlichen anhangenden insigel, geben in vnser vnd des heiligen reichs stadt Speyr am siebenden tag des monats may, nach Christi vnsers lieben herrn geburt funffzehen hundert vnd im vier vnd viertzigsten, vnsers kaiserthumbs im vier vnd zwaintzigsten vnd vnserer reiche im neun vnd zwaintzigsten jare. † Carolus. Vt. Naves. Ad mandatum caesaris et catholicae majestatis proprium, J. Obernburger.

---

291. *Friedrich II. kurfürst von der pfalz wendet sich an den pabst wegen einverleibung der probstei Weissenburg mit dem hochstifte Speyer. Heidelberg,* 1546 *jan.* 5.

Post sanctitatis vestrae pedum oscula et humillimam mei commendationem. Domine clementissime! Exposuit nuper nobis reverendus in Christo amicus noster, dilectus dominus, Philippus episcopus Spirensis, quemadmodum venerabilis dominus Michael Gillis, praepositus in Neuhusen extra muros civitatis Wormatiensis, ut ordinatus coadjutor quondam venerabilis domini Rudigeri, praepositi in ecclesia Weissenburgensi, Spirensis dioecesis, eidem Rudigero, superioribus mensibus in Domino defuncto, in praepositura ex dispensa-

Digitized by Google

tione et auctoritate sanctitatis vestrae, nec non consensu dominorum decani et capituli collegiatae ecclesiae Weissenburgensis successurus, ad cedendum et transferendum jus suum, quod haberet ad et in dictam praeposituram in Weissenburg, eidem domino Philippo, episcopo Spirensi, se paratum et benevolum exhiberet simulque decanum et capitulum praefatos ad cedendum et transferendum in perpetuum jus eligendi praepositum tempore vacantis praepositurae praenominatae in dominos decanum et capitulum cathedralis ecclesiae Spirensis, ita, quod praedicta praepositura episcopatui Spirensi perpetue per sanctitatem vestram annecteretur, ut futuris temporibus per decanum et capitulum dictae ecclesiae cathedralis Spirensis electus episcopus etiam sit praepositus ecclesiae Weissenburgensis, prones et pacatos esse, quo utraque ecclesia per hoc omnibus futuris et maxime nostris periculosis temporibus per episcopum Spirensem, pro tempore existentem, tam in spiritualibus, quam in temporalibus et earundem personae inibi Deo altissimo in obsequio quotidiano secundum voti sui expositum famulantes magis in tuta et tranquilla vita ad laudem omnipotentis Dei servire valerent. Qui laudabilis tractatus tamen sine sanctitatis vestrae gratioso consensu, auctoritate, dispensatione et confirmatione suum effectum sortiri nequeat. Quocirca has nostras promotoriales literas, praedictis a sanctitate vestra facilius consequendis, a nobis flagitavit. Proinde quum nos intentionem et propositum praedictorum, ad honorem Dei et personarum ecclesiasticarum Deo in praefatis ecclesiis famulantium, stabiliendo statu tendere non dubitamus et justa petentibus assensus non sit denegandus, sanctitatem vestram humiliter et enixe precamur, ut praedictos dominos in eorum laudabili proposito et aequa petitione assensum, consensum, auctoritatem, dispensationem et confirmationem laudabiliter praestare dignaretur et ita gratiose se in his exhibeat, ut praefatus episcopus Spirensis hisce nostris literis apud sanctitatem vestram se adjutum sentire queat, quod de sanctitate vestra, ut filius obediens, promereri studebimus et illi et Deo optimo maximo prosperitatem optamus. Datum Heidelbergae quinta die januarii anno millesimo quingentesimo quadragesimo sexto.

Digitized by Google

292. *Philipp II. bischof zu Speyer legt als Weissenburger probst dem dortigen capitel den eid ab. Weissenburg,* 1546 *april* 3.

Nos Dei gratia Philippus episcopus Spirensis et praepositus Weissenburgensis, nostrae Spirensis dioecesis, juramus ad haec sancta Dei evangelia manu nostra dextera corporaliter tacta: I. Quod nunc et in antea fidelis esse volumus capitulo, personis ecclesiae et praepositurae nostrae Weissenburgensis, et quod jura, privilegia, libertates dictae ecclesiae ac praepositurae nostrae, consuetudines quoque, statuta, item scripta et non scripta, quatenus nos concernunt, observabimus literisque, sigillo capituli nostri sigillatis, fidem adhibebimus. II. Item, quod nullum canonicum vel vicarium per decanum et capitulum a fructibus suspensum restituere volumus, nisi causam, prout de jure, coram nobis aut officiali nostro pro tempore se terminaturum inprimis caveat. III. Item, quod decanum et capitulum ac singulares personas in eorum juribus et privilegiis manutenere et defendere et contra quoscunque dicta jura et privilegia infringentes vel supradictas personas molestantes pro posse auxilium praestare volumus. IV. Item, quod non volumus decanum vel aliquem ex canonicis, nisi in criminalibus vel arduis criminibus notoriis, in quibus deprehensos jura ultimo supplicio plectendos disponunt, utpote propter homicidium, stuprum, adulterium publicum in domo mariti vel patris, adulterium commissum, furtum, haeresim, carceribus mancipare vel alias punire, nisi antea coram officiali nostro vel coram nobis, prout de jure et juris ordine servato convictus fuerit, neque in vicarios aliquam coërcionem, neque jurisdictionem exercere in iis, quae chorum et cultum divinum ac chori disciplinam concernunt, nisi decanus in correctione vicariorum requisitus ante per nos negligens reperietur. V. Item, quod volumus observare ordinationem, ratione collationum, canonicatuum et vicariarum et aliorum beneficiorum factam, neque volumus decanum et capitulum aut alios quoscunque in ordinatione hujusmodi comprehensos in eisdem collationibus impedire. VI. Item, quod in causis, coram nobis vel officiali nostro pendentibus, nolumus esse acceptor personarum, sed unicuique jus et justitiam absque partialitate administrare et administrari facere. Neque sententias, ab officialibus nostris pro tempore latas, retractare vel infringere, sed easdem, postquam in rem transierunt judicatam, manutenere et debite executioni demandare. VII. Item, quod

Digitized by Google

volumus acceptare unum officialem ex capitulo, dummodo in eodem habeatur ad haec idoneus et qualificatus, in eventum autem, quo ex capitulo non possit huic officio provideri, virum doctum et bonae famae praeficiemus. VIII. Item, quod non volumus decanum, canonicos vel singulares personas ecclesiae nostrae in condendis testamentis, quatenus legitime et prout de jure ab eisdem condantur, impedire, sed testamenta eorundem manutenere, neque ab eorundem executoribus pro fertone ultra duos florenos, similiter et pro quittantia ultra duos florenos (quatenus creditoribus satisfieri possit) exigere, nisi summa bonorum derelictorum ultra credita et legata summam centum florenorum excederet, ex tunc pro qualibet centenaria volumus, nisi unum florenum supra dictos ab executoribus testatoris pro quittantia extorquere, praeviso tamen, quod infra annum a die obitus computus legalis de singulis et omnibus defunctis ac receptis et expositis nobis reddatur. Si autem unum ex praedictis intestatum decedere contigerit, volumus stare juri communi. IX. Item, quod non volumus permittere, quod decanus, canonici vel vicarii ad judicium aliquod saeculare vocentur vel trahantur, sed pro posse vocantibus resistemus. X. Item, quod volumus consistorium in oppido Weissenburgensi vel civitate Spirensi facere observari, et nullum ex praedictis coram nobis vel officiali nostro extra dictum oppidum evocare, pestis vel belli temporibus exceptis, vel causas inter partes committere, non tamen ultra dietam unam ab eodem oppido Weissenburgensi distantem. XI. Item, quod concordias inter nos et oppidum Weissenburgense erectas observare volumus, et quatenus clerum nostrum concernunt vel eidem clero a senatu et civibus observentur, pro posse et nosse cooperari et efficere. XII. Item, quod nulla bona ecclesiastica immobilia et praetiosa mobilia absque expresso consensu decani et capituli alienare, permutare, donare vel vendere volumus, neque reemptiones aliquas recipere sine scitu et consensu capituli et pecunias reemptas penes decanum et capitulum deponere, quousque alius census comparari possit, neque feuda, ad ecclesiam reversa, alteri conferre, seu de feudis reversis quemcunque alium investire, sed in hoc concordiam Spirensem observare, neque alicujus feudi naturam immutare. XIII. Item, quod volumus alicui committere regimen et custodiam alicujus arcis, castri, munitionis, villarum ecclesiae vel praeposituae, seu aliquem officialem alicui arci,

Digitized by Google

castro, munitioni aut villis praeficere, nisi noto, fideli, integro, bonae famae et reputationis viro, qui nobis juramentum fidelitatis praestet. Ex quibus superior noster praefectus in Lauterburg ante suum ingressum juramentum capitulo nostro Weissenburgensis ecclesiae quoque praestabit, in hunc modum, qui sequitur: Si contigerit praepositum pro tempore ex humanis decedere vel praeposituram ex quacunque causa dimittere vel resignare vel praepositurae de jure privari et destitui, quod Deus avertat, quod ex tunc arces, castra, munitiones, villas, ac jura, munimenta et alia bona, in praedictis castris, munitionibus et locis ecclesiae et praepositurae praedictae existentia, fideliter et integraliter nomine et in manibus capituli servet et custodiat, tam diu et quousque ipse nomine capituli requisitus fuerit, quod arces, castra, munitiones et villas earundemque possessionem conjunctim vel divisim capitulo, quam primum requisitio hujusmodi literis ac pleno mandato in scriptis sub sigillo majori dicti capituli munitis, facta fuerit, cum omnibus literis, juribus et bonis, in eisdem castris, munitionibus et villis repertis, tradat et assignet. Neque aliquid juris sibi in eisdem competere praetendat. Quapropter ipse arces, castra, munitiones et villas hujusmodi sibi creditas reservare velit. Caeterum si casu eveniret, quod praepositus captus detineretur vel captivaretur, quod Deus quoque avertat, eo casu et quamdiu captivitas et detentio hujusmodi duratura est, dictus praefectus arces, castra, munitiones et villas hujusmodi sub fideli custodia nomine praepositi custodire et conservare, neque permittere, quod praepositus easdem arces, munitiones et villas durante captivitate sua in cujuscunque praeterquam capituli manus transferre, assignare, hypothecare vel in quemcunque modum alienare possit. Et si praeposito pro tempore in captivitate sua dilatio seu terminus constitueretur, ex tunc officialis praepositum ad unum ex castris vel munitionibus per ipsum eligendis admittere pro habitatione et domicilio praepositi debebit, hac securitate praemissa adjecta, quod non liceat praeposito arcem hujusmodi in alium transferre, hypothecare, impignorare vel alienare. Et quam primum praepositus a captivitate sua pristinae libertati restitutus et liberatio hujusmodi ad notitiam decani et capituli pervenerit, advocatoque sive officiali sub literis et sigillo majori dicti capituli sigillatis notificata et significata fuerit, ex tunc praeposito omnibus modo et forma, prout ante captivitatem ob-

Digitized by Google

ligatus erat, devinctus esse et super praedicto juramento literas sub sigillo suo capitulo assignare debebit. Dictus quoque officialis sive advocatus, quotienscunque unum ex praedictis casibus se offerret, duos ex canonicis per capitulum ad hoc deputatis et sufficienti mandato, sigillo majori praedicti capituli sigillato fulsitos, ad arces et munitiones hujusmodi admittere teneatur, qui et capitulo juramentum praescriptum, quemadmodum praefectus seu officialis, praestare debebunt. XIV. Item, quod nolumus praeposituram Weissenburgensem in cujuscunque favorem et manus in vel extra Romanam curiam resignare, permutare vel dimittere, vel per nos vel per alium quodcunque compromissum, vel quascunque obligationes de resignando, permutando vel dimittendo inire, praeter expressum scitum, voluntatem et consensum capituli. XV. Item, quod volumus esse contenti, quoad impositionem charitativi subsidii et contributionis, quatenus clerum nobis subjectum concernit, juxta ordinationem et concordiam Spirensem desuper edictam et huic ordinationi stare. XVI. Item, quod imprimis de omnibus et singulis redditibus, obventionibus, censibus et emolumentis, de et ex dicta praepositura cedentibus et collectis, singulis annis pensiones, census, juxta continentiam literarum his, qui census et pensiones ecclesiae Weissenburgensi compararunt, stipendia quoque et salaria officialibus et familiaribus in terminis statutis et conventis per nos vel procuratorem nostrum volumus satisfieri, ne capitulum vel ecclesia de non solutione damnum, bella, excommunicationem, indignationem vel alia gravamina incurrat et pro securitate cautionem in scriptis sub sigillo nostro et literas indemnitatis dare. Et si per procuratorem ad hoc proprium et unicum deputaverimus, quem alias scriptorem provinciae vel reddituarium appellamus, is capitulo singulare juramentum et ejusdem juramenti literas sub sigillo suo praestare tenebitur. XVII. Item, quod officio sculteti in oppido Weissenburgensi virum bonum, honestum, prudentem, bonae famae et opinionis, praeficere volumus. XVIII. Item, quod non volumus cum aliquo principe, civitate sive potestate ecclesiastica vel saeculari aliquam confoederationem, ligam vel unionem inire, acceptare seu obligare, absque scitu et voluntate dicti capituli. XIX. Item, quod non volumus alicui aliquod stipendium vel salarium ad vitam ipsius, etiam sub titulo feudi et tanquam vasallo, absque permissione et licentia capituli sub literis et sigillo constituere vel assignare. XX. Item, quod non volumus prae-

Digitized by Google

fectum et principalem officialem nostrum in Lauterburg assumere vel constituere, nisi antea capitulo sollemne praestiterit juramentum vel sub literis sigillo suo sigillatis se obligaverit, quod tempore, quo dictum suum officium dimiserit vel ex licentia praepositi vel aliter, non velit, neque debeat castrum, arcem vel munitionem, cui ipse praefuit, neque praeposito, neque alicui ex ejus officialibus assignare, quousque alius officialis, qui in locum cedentis suffectus est, capitulo literas obligatorias sub sigillo suo una cum juramento, prout infra describitur, praestiterit, decanus quoque et capitulum officialem dimissum vel licentiatum a juramento suo liberaverint eique liberationis hujusmodi literas sub sigillo majori capituli transmiserint. XXI. Item, quod non volumus aliquem officialem, praefectum vel scultetum constituere, nisi praestet inprimis fidem et deinde ad sanctos juret, quod omnem clerum ecclesiae nostrae Weissenburgensis ac reliquos nobis subjectos, tam ecclesiasticos, quam saeculares, in officio et terminis sibi creditis eorundemque bona, redditus et census tueri, defendere, excusare vel manutenere tanquam se ipsum et bona sua propria illisque auxilio et consilio esse et posse, quod decimas pro majori ipsorum commoditate locare, ac census et redditus a censitis minoribus expensis et absque magna temporis dilatione, quantum possibile est, consequi possint et circa praemissa ipsis expeditam et celerem justitiam administrare velit. XXII. Item, quod omnes officiales, per praepositum acceptandi, fidem dare et jurare teneantur, quod in eventum, quo praepositus pro tempore, vel sui successores absque scitu, voluntate et consensu decani et capituli arces, castra, munitiones, villas, census, redditus, privilegia, quocunque nomine appellari possint, impignorare, hypothecare, alienare, transferre vel coadjutorem deputare et designare attentaret, id, quod tamen praepositus nullo pacto facere debebit, ex tunc non teneatur in hoc praeposito obedire, sed mox capitulo id significare et capitulo arces, castra, munitiones, villas et supradicta reservare, non autem praeposito tam diu et quousque praepositus et capitulum ad bonam concordiam deveniant. Dicti denique officiales capitulo literas sub sigillis eorum sigillatis infrascripti tenoris de verbo ad verbum dare habebunt. XXIII. Item, quod volumus jurisdictionem, jura, privilegia, libertates, consuetudines, regalia et omnem superioritatem et bona saepenominatae praepositurae pro virili manuteneri et defendere,

Digitized by Google

neque permittere, quod aliquis, cujuscunque status, gradus, ordinis aut conditionis existat, aliquam turbationem vel molestationem in praemissis ecclesiae inferat. XXIV. Item, quod non volumus decanum et capitulum in tractatibus capitularibus impedire, neque nos de eisdem intromittere, nisi negotia communia et praepositurae, capituli et ecclesiae tractarent et computationes capituli fierent, ex tunc praepositus ad praemissa per decanum et capitulum vocari debet, ut, si velit, per se vel officialem specialem interesse valeat. XXV. Item, quod volumus tempore, quo officiales annuatim computum reddere solent decano et capitulo, literis diem computationis antea saltem per octo dies intimare et significare, ut duos canonicos ex capitulo, ut intersint computationi, deputare et destinare possint, quos etiam ad computationem hujusmodi admittemus. XXVI. Item, quod volumus elemosynam in ordinatione et concordia Spirensi et utrinque acceptata expressam et specificatam singulis annis in oppido Weissenburgensi et alias juxta tenorem institutionis dictae elemosynae distribui et erogari curare et efficere. XXVII. Item volumus, quod, si nos praepositum ex causis ab dioecesi nostra Spirensi ultra duos vel tres menses abesse contigerit, quod constituemus duos ex canonicis capitularibus una cum aliis saecularibus officialibus in locum tenentes, qui medio tempore negotia praepositurae in spiritualibus et temporalibus, ac si nos essemus praesentes et quae ipsimet facere possemus, agere et expedire habebunt. Et quidquid dicti nostri locum tenentes ita, ut praefertur, gesserint, ratum et gratum habebimus, nec unquam, nisi de expresso consensu decani et capituli, retractabimus. XXVIII. Item, quod ordinationem et concordiam, in Udenheim inter nos et capitulum factam, erectam et utrinque acceptatam, de anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, in omnibus punctis et articulis, in omnibus et per omnia, praesertim de feudis, prout supra dictum est et latius in concordia Spirensi de illis continetur, tum etiam praefatam concordiam Spirensem in omnibus punctis et articulis non consumatis, abrogatis vel alteratis, dolo et fraude in praemissis secluso, observare volumus. XXIX. Item, quod instrumentum admissionis et possessionis, nec non literas praesentis juramenti sub sigillo nostro proprio infra mensem proximum dominis decano et capitulo praedictis praesentabimus. XXX. Item, quod contra praedicta omnia et singula nullam dispensationem per nos vel alium

Digitized by Google

impetrabimus, nec impetrari faciemus, directe vel indirecte, nec impetratis, nec motu proprio concessis contra praemissa uti volumus, sed omnia et singula praemissa fideliter servabimus, dolo et fraude seclusis. Sic nos Deus adjuvet et conditores sanctorum evangeliorum Dei. Actum Weissenburg die sabbathi post dominicam Oculi, qui erat tertius mensis aprilis, anno a Christo nato millesimo quingentesimo quadragesimo sexto.

---

293. *Paul III. pabst vereinigt das kloster St. Walpurg mit der probstei zu Weissenburg. Rom.* 1546 *mai* 14.

Paulus episcopus, servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ex incumbenti nobis apostolicae sollicitudinis studio ad ea libenter intendimus, per quae singulorum monasteriorum et locorum regularium desolationis opprobrio subjacentium indemnitati occurratur, ut divinorum officiorum in eis celebrationi consulatur illaque per nostrae providentiae studium utilium personarum fulta praesidiis, de caetero a noxiis praeserventur ac salubribus, quantum fieri potest, proficiant incrementis. Sane pro parte venerabilis fratris nostri Philippi episcopi Spirensis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias, cum monasterium sanctae Walpurgis in sacra silva, ordinis sancti Benedicti, Argentinensis dioecesis, ob Lutheranam haeresim aliasque hujus deploratissimi saeculi sectas, penitus desolatum remansisset, nec in eo amplius abbas aut alii monachi essent, carissimus in Christo filius noster Carolus, Romanorum imperator semper augustus directus et tunc in humanis agens bonae memoriae Ludovicus comes palatinus, princeps et elector imperii, utilis illarum partium domini, volentes desolationi monasterii hujusmodi eo, quo possent, meliori modo occurrere et considerantes possessiones et agros ejusdem monasterii possessionibus et agris praepositurae ecclesiae sanctorum Petri et Pauli apostolorum ac Stephani prothomartyris oppidi Weissenburgensis, dioecesis Spirensis, conterminos et conjunctos seu cohaerentes existere et propterea neminem alium commodius, quam praepositum ipsius ecclesiae ejusdem monasterii curam suscipere et gerere posse, sub spe, quod nos monasterium hujusmodi eidem praepositurae auctoritate apostolica unire deberemus, quantum in eis fuerit, statuerunt et ordinaverunt, quod quondam Rudigerus, tunc in humanis agens et ipsius ecclesiae

Digitized by Google

praepositus curam et administrationem ejusdem monasterii suscipere et gerere et loco monachorum ejusdem monasterii tunc absentium tres presbyteros saeculares, ad divinum cultum in eodem monasterio retinendum, constituere deberet, ipseque praepositus possessione seu quasi regiminis et administrationis monasterii hujusmodi, quamvis de facto apprehensa, abinde citra, quamdiu in humanis egit, ipsius monasterii curam gessit etiam de facto. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, licet praefatus Rudigerus praepositus, sicut Domino placuit, ex medio sublatus fuerit, nichilominus dicta praepositura adhuc in possessione seu quasi regiminis et administrationis ejusdem monasterii et ejus bonorum existat et nos nuper ex diversis tunc expressis causis praeposituram praedictam in simul cum mensa episcopali Spirensi, ita, quod Philippus modernus et pro tempore existens episcopus Spirensis de caetero praepositus dictae ecclesiae et ratione praeposituraе hujusmodi princeps Romani imperii, prout praepositi ejusdem ecclesiae ab antiquo esse consueverunt, existeret, perpetuo univerimus, annexuerimus et incorporaverimus, si monasterium praedictum adhuc conventu caret, et de quo, quod in pristinum statum a se ipso restituatur, nulla spes verisimiliter concipi potest, eidem praeposituraе, quae haereticorum impietate ac illorum veluti hostili pravitate et insolentia admodum expilata et devastata ac in ejus possessionibus et bonis plurimum deteriorata existit, perpetuo uniretur, annecteretur et incorporaretur. Ex hoc profecto dictus Philippus episcopus peculiarem curam dicti monasterii susciperet et gereret ac auctoritate et potentia suis monasterium hujusmodi in pristinum statum restitueret, aut saltem illud et ejus possessiones ac bona ab ulteriori desolatione defenderet et illius ecclesiae saltem per presbyteros saeculares deserviri faceret, nec non ex fructibus, redditibus et proventibus monasterii hujusmodi in aliquo sublevatis ecclesiam Spirensem, cui praeest, ab aere alieno, quod ob haereses illarum partium et alias Germanicas calamitates contrahere coactus fuit, commodius liberare ac recuperationi jurium et libertatum, tam monasterii, quam praeposituraе praedictorum, efficatius intendere posset. Quare pro parte ejusdem Philippi episcopi, asserentis fructus, redditus et proventus dicti monasterii et illi forsan annexorum centum ducatorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplica-

Digitized by Google

tum, ut monasterium praedictum eidem praepositurae perpetuo unire, annectere et incorporare, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum aestimationem praedictam etiam beneficii, cui aliud unire peteretur, alioquin unio non valeret et semper in unionibus commissio fieret ad partes vocatis, quorum interest, eundem Philippum episcopum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, nec non fructuum, reddituum et proventuum ejusdem praepositurae verum annuum valorem praesentibus pro expresso habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, monasterium praedictum cum annexis hujusmodi ac omnibus juribus et pertinentiis suis eidem praepositurae, ita, quod liceat praefato Philippo moderno et pro tempore existenti episcopo Spirensi, per se vel alium seu alios, corporalem possessionem seu quasi regiminis et administrationis ac bonorum monasterii et annexorum juriumque et pertinentiarum praedictorum propria auctoritate libere apprehendere et perpetuo retinere ac fructus, redditus et proventus hujusmodi in suos et mensae ac praepositurae et monasterii praedictorum usus et utilitatem convertere, dioecesani loci vel cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita, dicta auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo unimus, annectimus et incorporamus, non obstantibus priori voluntate nostra praedicta et Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis, fieri prohibentis ac aliis apostolicis constitutionibus, nec non monasterii et ordinis praedictorum juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus caeterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quod propter unionem, annexionem et incorporationem praedictas monasterium ipsum in spiritualibus non laedatur et in temporalibus detrimenta non sustineat, sed illius congrue supportentur onera antedicta. Et insuper ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attemptari. Nulli ergo

Digitized by Google

omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, unionis, annexionis et incorporationis, decreti et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Marcum anno incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quadragesimo sexto, pridie idus maji, pontificatus nostri anno duodecimo.

---

294. *Carl V. kaiser bestätiget dem bischofe Philipp zu Speyer die einverleibung der probstei Weissenburg mit dem hochstifte. Regensburg,* 1546 *juli* 2.

Wir Carl der funfft von Gots gnaden Romischer keiser etc etc. Bekennen offentlich mit diesem brief vnnd thun kundt allermeniglich, wiewol wir aus angeborner guete vnnd keiserlichen miltigkeit altzeit geneigt seien, allen vnsern vnnd des reichs vnderthanen vnnd getreuwen gnadt vnnd gutigkeit mitzutheilen vnnd sy bei fridt vnnd gemach zu erhalten, so sein wir doch gegen denen, die vns vnnd dem hailigen reich, als die nechsten glieder die burde vnnd sorgveltigkeit desselben mit steten, treuwen dinsten helffen tragen, billich mer bewegt, ir nutz vnnd bestes zu betrachten vnnd zu furdern vnnd sie bey iren gnaden, freihaiten zu hanndthaben vnnd behalten. Wann nun der erwurdig Philips, bischof zu Speier, vnnser furst, rhat vnnd lieber andechtiger verschiener zeit in aigner person vor vns erschienen vnnd vns demutiglich ersucht vnnd gebetten hat, das wir ime als probst des stiffts Weissennburg im Elsas, zu welchem stifft er jungstlich zuvor nach tedtlichem abgang weilandt Rudigers, probsts daselbst, ordentlicher weiss komen were, alle seine vnd seines jetzt gemelten stieffts Weissennburg regalien vnd weltlichait, lehen, lehenschafft, lehenman, manschafft, hoch vnnd alle anndere gericht, strassen, gleit, vngelt, berckwercks, zoll, muntz, wilpan, wasser, wasserleuf mit allen vnnd iglichen iren eren, wurden, rechten, renten, nutzen vnnd zugehorungen, die von vns vnnd dem hailigen reich zu lehen ruren, wie die genannt, wo die gelegen, vnnd waran die sein, zu verleihen vnd damit zu belehenen, auch ime vnnd demselben seinem stifft Weissennburg alle vnd igliche ire gnaden, rechte, zehenden, brief, privilegia, hanndtvesten, ehre vnnd wurdigkeiten, die inen vonn vnsern vorfaren am

Digitized by Google

reich, Romischen kaisern vnd kunigen, loblicher gedechtnus, auch vnns vnnd andern fursten vnnd herren, fromen andechtigen christen menschen gegeben sein, auch irer oberkeit, bezirks, leuth, guter, herkomen vnnd gute gewonheiten, die sie geprauchte vnnd herpracht hetten, als Romischer kaiser zu bestetigen vnnd ernwern, gnediglichen geruchten, wie wir auch damals ime bischof Philipsen solches alles, wie obsteet, gnediglichen verliehen, bestetigt vnd erneuwert haben, alles ferrer inhalts vnnser lehen vnnd bestetigungs brief vnder vnnserm kaiserlichen, anhangenden insiegel daruber ausgangen im anfang: „Wir Carl der funfft“ etc. vnnd am date also lautent: „Geben in vnnser vnnd des reichs stat Speier am neun vnnd zwantzigsten tage des monats martii, nach Christi vnnsers lieben herrn gepurt funffzehen hundert vnnd im sechs vnnd vierzigsten jare.“ Vnnd vnns jetzo derselb vnnser furst vnnd rathe, bischof Philips, durch seynne gesanten weiters furbringen lassen, das solche probstey vnnd stifft Weissennburg durch die bapstlich hailigkeit mit allen iren oberkeiten, herligkeiten vnnd gerechtigkeiten, regalien, freihaiten vnnd zugehorden seinem stifft Speier vnnd desselben bischofflichen tisch gnediglichen vnirt, annectirt vnnd incorporirt, also das nun furohin zu ewigen zeiten von einem dhomkapitel zu Speier ain erwelter bischof zu Speier, auch probst zu Weissennburg sein vnnd pleiben, auch ain jeder nachkomender bischof am stifft Speier sich gemelter probstey Weissennburg besitz mit allen iren rechten vnnd zugehorden, durch sich oder anndere seine bevelchaber, frey vnderziehen, annemen vnnd behalten vnnd aller solcher probstey Weissennburg nutz, gefell vnnd einkomens in sein, seines bischofflichen tischs vnnd der probstey Weissennburg geprauch, nutz vnnd fromen zu wenden, fug vnnd macht haben soll, alles nach inhalt der pabstlichen bullen daruber verfertigt vnnd vnns in original furpracht vnnd vnns darauf demutiglich bitten lassen, das wir solche der probstey Weissennburg vnion, annexion vnnd incorporation von bapstlicher hailigkeit ime bischof Philipsen, seinen nachkommen vnnd dem stifft Speier, als obstehet, beschehen, ine allem irem begrif vnnd inhalt, als Romischer kaiser zu bewilligen, zu bestetten, zu bevesten vnnd zu confirmiren gnediglichen geruchten. Des haben wir angesehen vnnd betracht, des obgemelten vnnsers fursten vnnd rhats, bischof Philipsen zu Speier vnnd probsts des stiffts Weissennburg demutig zim-

Digitized by Google

Wormatiensis, Eberhardus a Dienheim, cantor, Joannes de Hadsfeld, Wilhelmus Schutzpar, nominatus Milchling, Georgius a Schoenenberg, decanus metropolitanae Moguntinae, Joannes de Hendtshusheim, Fridericus ab Holdnigkhausen, scholasticus, et Valentinus Echter de Mespelbron ... In quorum omnium et singulorum robur et testimonium evidens sigillum nostri capituli majus praesentibus est appensum. Datum et actum Spirae in loco nostro capitulari, die Martis vicesima octava mensis ... anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo septuagesimo primo.

---

320. *Das domcapitel zu Speyer schreibt das vom pabste Pius V. gewährte jubiläum, um hülfe gegen die Türken zu erflehen, aus. Speyer,* 1570 *oct.* 13.

Decanus et capitulum cathedralis ecclesiae Spirensis omnibus et singulis hujus ecclesiae canonicis ac caeteris cujuscunque aestimationis personis salutem in Domino. Misere catholica ecclesia affligitur undique. Nam praeter domesticas calamitates, quas ex animorum dissentione, tum ob religionis negotium, tum ob alias causas in dies magis ac magis experimur, accedunt etiam externae aeque graves, si non graviores. Quum enim Turcicus imperator, juratus hostis christiani nominis, non ita pridem insulam Cyprum contra omnem aequitatem, sed pro solo tyrannico imperio a Venetis postulasset, nunc eandem vi et armis non solum Venetis, sed et omnibus christianis conatur eripere. Quare et ingentem classem (cum?) feroci milite, nil nisi christianum sanguinem sitiente ac denique omnibus, quae ad gravissimum bellum requiruntur, instructissimam eo misit barbarumque militem in ipsam insulam exposuit. Quia vero omnibus christianis magni refert hanc opulentissimam insulam et revera fortunatam possidere, quod in hoc periculosissimo bello valde ambiguum erit, nisi mature ad Deum confugiamus, quaque amissa omnis fere spes cum eandem, tum etiam terram sanctam recuperandi adempta foret, sanctus dominus noster Pius, papa quintus, ex paterna solicitudine, quam pro ecclesia gerit, diplomate quodam sub dato sexto idus septembris praesentis anni septuagesimi emisso et per autenticum exemplar nobis commonstratum publicato jubilaeum promulgat duplicibusque armis immanissimo hosti obviam eundum esse censet, nempe dum alicui rem graviter manibus gerunt, quod ipsum facturi procul dubio isti strenue, qui in triplici navali exercitu, nimirum Romani pontificis, se-

Digitized by Google

renissimi et catholici Hispaniarum regis et Venetorum se mari dederunt, caeteri spiritualia arma contra truculentissimum tyrannum exacuent. Monemus ergo et rogamus cum vere piissimo pontifice Romano Pio quinto vos omnes et singulos, ut quisque post diligentem discussionem conscientiae peccata sua omnia sacerdoti aperiat et postquam futura septimana (vel si ista aliquo impediti essent, sequenti) feria quarta, sexta et sabbatho religiose jejunaverit et ardentes preces coram Deo pro victoria contra Turcas effuderit, denique pro virili elemosynas egenis largitus fuerit, die dominica post tremendorum mysteriorum fiat particeps, habiturus plenariam suorum criminum indulgentiam, prout plenius in bulla pontificis continetur. Insuper volumus et jubemus, ut in singulis summis sacris ab hoc die usque ad nostram revocationem collecta contra Turcam, videlicet: Omnipotens sempiterne Deus, in cujus manu etc. devote cantetur et ut sequentibus septimanis, feria secunda et tertia, quarta aut quinta, semel — quando magis opportunum erit — ante missam processio cum responsorio: Tua est potentia etc. et: Aspice Domine etc. et majoribus precibus, quibus inseruntur psalmi: Miserere mei Deus etc. et: Deus, venerunt gentes etc. cum collectis consuetis, ex choro per ambitum usque ad medium ecclesiae vel chori — ubi litaniae legendae — habeatur. Speramus autem, omnes vos et quemlibet vestrum ea omnia et singula summo animi in Deum affectu ad impetrandam divinam misericordiam et procurandam plebis quoque devotionem peracturos. Datum in congregatione nostra capitulari die decima tertia octobris, anno millesimo quingentesimo septuagesimo.

---

321. *Franz von Borgia, general der jesuiten, weiset den ordensprovincial an, zwei väter nach Speyer zu senden. Rom,* 1571 *juni* 10.

Franciscus de Borgia, societatis Jesu praepositus generalis, carissimo in Christo fratri nostro Antonio Vink, sacrae theologiae doctori et societatis nostrae in provincia Rheni praeposito provinciali, salutem in eo, qui est vera salus. Cum reverendi admodum et nobiles viri, decanus et capitulum ecclesiae cathedralis Spirensis, accedente consensu reverendissimi domini Marquardi, episcopi Spirensis, sancto zelo catholicae religionis et pietatis conservandae et propagandae commoti, collegium nostrae societatis, cujus opera tam in juventutis instructione, quam in populi eruditione et auxilio spirituali

Digitized by Google

uterentur, instituerint et redditibus convenientibus in perpetuum dotaverint, nos obligationem quidem scholarum, non minus concionandi aut theologiam docendi admittimus, nihilominus, quum praedicatio verbi necessaria et lectio theologica perutilis futura Spirensi civitati ad consolationem et fructum spiritualem ipsius speratur, tibi et successoribus tuis in officio provincialis Rheni serio commendamus et injungimus, ut perpetuis futuris temporibus concionatorem idoneum et lectorem theologiae Spirae omnino constituas, ut licet sine obligatione et libere satisfaciat intentioni reverendi et nobilis capituli et reverendissimi episcopi et spirituali necessitati et utilitati civitatis juxta nostri instituti rationem in utroque munere consulatur. Et ne unquam excidat, quod hic praescribimus, has patentes literas, in libro provincialis et rectoris Spirensis describendas, subscripsi et societatis nostrae sigillo obsignari feci. Romae, quarto nonas junii, anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo primo.

---

322. *Das domcapitel zu Speyer trifft bestimmungen über die täglichen reichnisse für die dompfründner. Speyer,* 1572 *april* 16.

Nos Andreas de Oberstein, decanus, totumque capitulum cathedralis ecclesiae Spirensis, notum facimus per praesentes, quod licet superioribus temporibus tam Romanos venerandae memoriae hujus nostrae ecclesiae episcopos, quam antecessores nostros, quondam canonicos capitulares, circa divisionem oblegiorum, quandocunque ea vacasse contigisset, nec non perceptionem fructuum de eisdem provenientium adeo quartaliter fructus hujusmodi annui inter participantium numerum pro tempore contentos distribui deberent, aliquot pro varietate ipsorum temporum promulgatae sint ordinationes, pluraque easdem praecesserint, concomitata atque subsecuta sint declarationum correctionumque statuta. Quae quidem, ut mutuam et fraternam charitatem confovendam spectabant, ita nos eas, sive ea, quantum fieri potest, morigeris animis amplectendo, interim tamen mentem statuentium, qua canonicos capitulares ad frequentiorem residentiam apud ipsam nostram ecclesiam faciendam et continuandam provocare votis omnibus magnopere exoptarunt, pensiculatius considerando, attendentes praesertim per hujusmodi canonicorum absentiam divini cultus potentissimum interitum emergentem, horum praeterea temporum iniquitatem et gravia pericula, quae ob pau-

Digitized by Google

citatem canonicorum capitularium, experientia id ipsum subinde demonstrante, facile oriri ac coalescere possent, nec non molesta incommoda eorum, quibus paucis praesentibus negotia ecclesiae indefessis laboribus tractare et dirigere onus incumbit, commonente nos insuper propria conscientia, quod scilicet beneficium non datur, nisi propter officium tam circa divina, quam saecularia praestandum. Atque his omnibus accedit, novis causis sese ingerentibus, nova identidem, quibus salubriter occurratur, excogitanda sint remedia. Ne igitur in hisce et aliis casibus ecclesia nostra destituta suffragantium auxilio pessundetur et ut aliis detrimentis exinde provenientibus obviam eatur, cum accedentibus hisce oblegiorum fructibus de honestae pro cujusvis personae suae status sustentationis merito quaeri non possit. Eapropter matura deliberatione ac tractatibus capitularibus ad hoc convenientibus praehabitis, citra tamen priorum ordinationum et statutorum, quoad revocationem, abrogationem aut immutationem, quin potius eas et ea speciatim vero per laudatae recordationis quondam Georgium a Sternenfels, decanum ac capitulum super divisione vacantium oblegiorum hujusmodi de consensu et voluntate felicissimae commemorationis reverendissimi in Christo patris et domini, domini Philippi episcopi Spirensis etc. anno a virgineo partu millesimo quingentesimo trigesimo secundo decretum approbantes ac in omnibus aliis punctis et articulis inconcussissimum firmitatis robur habere volentes, illud hoc perpetuo ac irrevocabili statuto declarando seu prioribus adjiciendo decernendum ac ordinandum duximus, prout de speciali consensu, voluntate ac approbatione reverendissimi in Christo patris et domini, domini Marquardi, episcopi nostri Spirensis ac praepositi Weissenburgensis, confirmamus, de novo statuimus et ordinamus ac futuris temporibus modo subscripto ab omnibus, quorum interierit, firmiter observari intendimus, quod quicunque posthac ex canonicis nostris capitularibus, sive is praesenti tempore nostro participantium sit adscriptus, sive in futurum vacantibus oblegiis, eidem albo veniat connumerandus fructus percipere, seu emolumentis de saepedictis oblegiis annuatim cedentibus gaudere voluerit, apud praefatam nostram ecclesiam corporalem et effectualem residentiam facere et praestare teneatur. Ita videlicet, quod in alia sive aliis ecclesiis praeter hanc nostram neque capitularium proventuum, neque quotidianarum praesentiarum, ut vocant, distributionum quarumlibet tam in temporalibus

Digitized by Google

dominiis seu possessionibus, quam earundem aut aliarum obventionum, quae personalem residentiam ibidem requirunt, particeps esse seu de iis recipere possit aut debeat, super quo cujuslibet contra hujus statuti tenorem aliquid minimi etiam valoris nobis insciis recipere seu possidere volentis conscientiam coram summo Deo gravamus. Cuilibet interim ex praedictis liberum relinquentes, uti quolibet anno per integrae quindenae spatium ante sancti Georgii martyris quivis eorum, si velit, per praefatam residentiam apud hanc nostram ecclesiam fructuum hujusmodi participem se reddere possit, ejusque nos per se vel legitimum suum procuratorem vel in scripto faciat certiores eo in tempore usque ad praedictum festum exclusive elapso, de cujuscunque taliter absentis sive in personali residentia non constituti mente non constiterit, neque per adversam valetudinem alibi tanquam in alterius beneficii loco degens, rationabiliter apud nos fuerit excusatus, ipsius portionem, istius duntaxat anni, redditibus pixidis nostrae capitularis minoris conjungendam et inter omnes pro tempore capitulares juxta instituta majorum dividendam esse decernimus. Hoc autem nostro statuto iis, qui autumnali ac per reliquum anni circulum sex quindenarum venia in suis vel amicorum negotiis pro sua singulorum opportunitate uti volent, dummodo alibi non resideant aut pro praesentibus aliquo modo teneantur, nullam libertatem ademptam volumus, cum hoc ipso nihil aliud, quam propter beneficiorum in aliis ecclesiasticis commoda (quidem hactenus ad meliorem fortasse status ipsorum sustentationem, aliqui vero plus aequo interim inhiarunt) absentiam canonicorum ab ecclesia nostra procavere pro viribus eosque, prout convenit, ad munia sua hic obeunda allicere votis omnibus sincere intendamus. In quorum testimonium sigillum capituli nostri majus praesentibus est appensum. Nosque Marquardus Dei gratia episcopus Spirensis et praepositus Weissenburgensis suprafatus recognoscimus praedictas declarationem, ordinationem et statuta de nostris consensu et voluntate processisse illaque rata habentes auctoritate nostra ordinaria approbamus ac confirmamus ac pro ejus securitate firmiori sigillum nostrum etiam praesentibus appendi fecimus. Datum et actum in capitulo nostro generali, feria quarta post dominicam Quasi modo geniti, anno millesimo quingentesimo septuagesimo secundo.

Digitized by Google

323. *Einung zwischen dem domcapitel zu Speyer und dem junker Christoph von Handschuhsheim wegen des gottesdienstes zu Alsheim. Speyer, 1572 nov. 27.*

Zu wissen. Nachdem sich zwischen den erwirdigen vnd edeln herren dechant vnd capittel des hohen stiffs allhie zu Speir an einem vnd dem edlen vnd erenvesten Christophen von Henndschuchsheim anders theils etwas irrungen erhalten haben, nemblich vnd vmb deswegen, dieweil etwann vor vielen jaren ein erwirdig dumcapittel aus christlichem eyffer, auch gutem willen vnd ganz aus keiner gerechtigkeit sich vermog eines vertrags erbotten, iren pfarrherrn zu Rettersheim dahin zu vermogen, das er alle wochen ein ambt der heiligen mess in der capellen zu Alzheim, welche sambt den vnterthanen daselbst, so viel die pfarrliche rechten belangt, allein ein filial vnd zu gedachter pfarr Rettersheim gehorig, halten soll vnd sich aber seiten der religion halben was enderung zugetragen, das gedachter von Henndschuchsheim dafur gehalten vnd haben wollen, das nun hinfuran anstatt der obbemelten messen, von wegen der freiguter, so sie allda zu Alzheim haben, alle wochen ein predig durch ein pfarherr zu Rettersheim, wer der jeder zeit sein wurd, in angeregter capellen zu thun vnd zu halten schuldig seyn soll. Als aber dagegen ein erwirdig dumcapittel sich desselbigen beschwert, mit vermeldung, das der pfarrherr inner krafft eines alten vertrags nicht weiter, dann zu haltung einer messen zu jeder wochen vermogt vnd die vnterthanen zu Alzheim mit holung vnd besuchung aller pfarrlicher rechten, wie auch zu anhorung der predig, geen Rettersheim gehorig, auch weder ein erwirdig dumcapittel, noch ein pfarrherr an allem zehnden, so zu Altzheim gefellt, weder wenig, noch viel hetten, daher dann auch vnd so viel desto weniger ein erwirdig dumcapittel schuldig were, einerlei kirchen ministerien der orthen zu halten oder zu bestellen: so haben sich demnach obgedachte partheien vermog des heiligen Romischen reichs religions frieden, anno tausent funffhundert funftzig vnd funff aufgericht, dahin mit einander verglichen, das zu erorterung dieses spenns jeder theil eine schiedliche person vermogen, vor welchen beiden die sache furgebracht vnd in der gute, wo moglich, durch dieselben verglichen werden sollten. Wann nun gedachte partheien die edlen, erenvesten vnd hochgelehrten herrn Hartmannum Hartmanni von Eppingen, der rechten doctoren vnd chur-

Digitized by Google

furstlicher Pfalz hoffrichtern vnd fauten zu Heydelberg, auch Hieronymum Moser, der rechten doctoren, furstlich Speierischen canzlern, zu solichem erbeten vnd vermogt, sie auch die beide parteien notthurfftlichen gegen einander in iren fur- vnd anbringen verhort vnd darauff in der gute mit beiden theilen zu schiedlicher hinlegung berurtes strits gehandelt worden, haben die bemelte schiedluthe nach beiden theilen genugsamer verhor die sachen bemelter irrung halb vff ein stets immerwerend ende mit beider seits gutem wissen vnd willen in der gute dergestalt verglichen vnd hingelegt, das nun hinfuran anstatt der wochentlichen mess, so zu Alzheim, als obgemelt, gehalten werden sollen, eins erwirdig dumcapittels pfarrherr zu Rettersheim, wer der jeder zeit sein wird, aus guter freundschafft vnd keiner schuldigkeit alle wochen, es seie auff ein sontag oder nachmittag oder sonst an einem gelegenen tag in der wochen, der allwegen zu eines pfarrherrn gelegenheit stehen soll, das evangelium vorlesen vnd eine kurze auslegung nach sein des pfarrherrs besten verstand zu Alzheim in der capellen thun, sonst aber ausserhalben dieser wochenlichen predig keinerlei pfarrliche rechten vnd administration anderer kirchen ministerien der ennds zu verrichten, viel weniger ein sondern pfarrherr oder prediger zu erhalten schuldig, sondern gedachter von Henndschuchsheim fur sich, seiner erben vnd nachkommen, wer oder wie die jeder zeit sein mogten, niemands ausgenommen, mit solicher eins pfarrherrn zu Rettersheim wochentlichen predigen, als obbestimmt ist, zu ewigen tagen zufrieden vnd begnugig seyn vnd solcher meess vnd pfarrherrn halb weder an ein erwirdig dumcapittel, noch jeder zeit pfarrherrn zu Rettersheim kein ferner suchens, noch ansprechens haben oder furwenden sollen, alles getreulich sonder geverde. Dieweil dann soliche gutliche vergleichung beide obbemelte partheien zu gutem begnugen vnd danknemmen gefallen angenomen, auch zugesagt vnd versprochen, das sie sambtlich vnd sonderlich fur sie vnd ire nachkommen dabey entlich bleiben, dawider zu ewigen tagen nicht handeln, noch thuen, noch solches durch andere zu thun vnd zu handeln, mit was furm, furzug vnd versehen das immer gescheen mogt, gestatten, sondern mit solichem allerdings begnugig vnd zufrieden seyn wollen: so bekennen wir, die obgenannte schiedsluthe, das vnser jeder zu vrkund vnd gewisser kundschaft dieser ding sein eigen ingesiegel an die-

Digitized by Google

sen vertrags brieff gehenckt vnd jedem theil einen zugestellt haben. Gescheen zu Spire den sieben vnd zwanzigsten november, anno funffzehen hundert siebenzig vnd zwei.

---

324. *Rudolf II. kaiser bestätiget die aufhebung des Minoritenklosters zu Speyer. Prag,* 1580 *sept.* 12.

Wir Rudolff der andre von Gottes gnaden erwelter Romischer kaiser etc. Bekennen fur vns vnd vnsere nachkommen am heiligen reiche offentlich mit diesem brieffe vnd thun kundt allermenniglich, dass vns der ehrwurdig Marquard, bischoff zu Speier vnd probst zu Weissenburgk, vnser furst, rath, cammerrichter vnsers kaiserlichen cammergerichts vnd lieber andechtiger, ein bapstliche bullam, darin ir heiligkeit aus etlichen angezeigten, stattlichen vrsachen, aus aigner bewegnus mit wolbedachtem muet, gutem rhat, rechter wissen vnd bapstlicher machtvollkommenheit in den barfusser kloster, fratrum minorum gaudentium genannt, sanct Francisci ordens, in vnser vnd des reichs stadt Speier gelegen, gedachten orden, regul vnd klosterlichen standt ewiglich supprimiren, aufheben vnd abschaffen vnd dasselbig Gotshauss mit allen rechten vnd zugehorungen dem sanct Clara stifft Speier zuaignen vnd incorporiren (?) vnd dann danebens das frawen closter sanct Claren, in der vorstadt daselbst zu Speyer gelegen, von berurtem orden, dessen obern vnd aller irer superioritet vnd jurisdiction gentzlich eximiren vnd dem stifft Speier in der geistlichkeit vnd weltlichkeit allerdings vnderwurffig machen, in originali furpracht, so von wort zu worten hernach geschrieben steet vnd also lauttet:

Gregorius papa decimus tertius. Ad perpetuam rei memoriam. Quemadmodum providus paterfamilias, regimini suae domus intendens, inordinata et indisposita, si quae invenit, reducit pariter et reformat, sic Romanum pontificem, quem divina majestas patrem et pastorem omnium ecclesiae suae ordinum constituit, inprimis decet circa monasteriorum et aliorum regularium locorum, praesertim deformationis opprobrio obnoxiorum, reformationem et salubrem directionem assidua cordis meditatione vigilare et eorum dispendiis occurrere, ipsaque monasteria et loca vel primis institutis restituere vel certe prolapsum eorum statum in melius commutare, aliasque desuper disponere, prout locorum et temporum circumstantiis debite pensatis, conspicit in Domino salubriter

Digitized by Google

expedire. Cum itaque, sicut accepimus, domus sancti Francisci Spirensis, ordinis fratrum minorum gaudentium nuncupatorum, in suis structuris et aedificiis proximam ruinam minetur, nec spes sit, illam ex propriis suis redditibus, quadraginta ducatorum auri de camera, secundum communem aestimationem, valorem annuum non excedentibus, restauratum iri, ipsiusque domus fratres, qui duo vel tres duntaxat ad praesens existunt, a suis superioribus ibidem constituti, divino cultu neglecto, vitam dissolutiorem omnique luxus et incontinentiae genere refertam ducentes, nedum piis et sincere catholicis scandalo et opprobrio, sed etiam haereticae pravitatis aseclis ludibrio sint, quin imo monasterii monialium sanctae Clarae in suburbio dictae civitatis ejusdem ordinis curam gerentes, tantum abest, ut moniales ipsas persalutaria monita in regularibus institutis ac honoris et bonae famae odore contineant, quod ipsimet claustra dicti monasterii, etiam deposito religionis habitu, ingressi, ibidem conviviis, choreis et aliis vanitatibus mundanis turpiter et inhoneste contra suae regulae praescriptum sacrorumque canonum et conciliorum decreta indulgeant, unde fit, ut dictae moniales, eorum exemplo adductae, contempta voti obligatione et relaxatis pudicitiae habenis, aliae inter monasterii septa et quidem cum ipsis fratribus nefando stupro se commiscere, aliae vero monasterium ipsum egressae, dum suae propriae libidinis ludibrium exercent, lasciviam suam connubii velo adumbrare et nihilominus victum et amictum ex ipsius monasterii redditibus, implorata senatus hujusmodi tutela et auctoritate, expostulare non verentur, ipsi vero senatus, qui jam pridem nonnulla regularia loca ejusdem civitatis occuparunt et illa suae reprobatae sectae professoribus ad falsas doctrinas ibidem disseminandas et juventutem illius civitatis haeresibus et damnatis ritibus imbuendam concesserunt, ac de proximo, nisi eorum conatibus quandocius occurratur, domum praedictam tanquam desolatam et cum ipsius civitatis deformitate collabentem occupare eamque ad dictorum sectariorum vel alios profanos usus restaurare satagunt, tutelam monialium hujusmodi haud gravatim suscipiant, ut inde majores jurisdictionis et administrationis titulos conquirant ac demum dictum monasterium illiusque bona et emolumenta satis quidem pinguia in eorum potestatem redigant, non sine gravi religionis depressione, sectariorum applausu et catholicorum moerore, superiores vero praedicti his incommodis mederi non

Digitized by Google

curent, ordinarii autem jurisdictio in domum et monasterium hujusmodi se minime extendere asseratur. Nos domus et monasterii hujusmodi indemnitati tempestive consulendum tantisque dispendiis et periculis obviandum esse censentes, motu proprio, non ad alicujus nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione et certa scientia nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine in dicta domo et illius ecclesia ordinem praedictum omnemque statum, essentiam et dependentiam regulares apostolica auctoritate, tenore praesentium perpetuo supprimimus et extinguimus, ipsamque domum cum ecclesia, claustro, cimiterio et divitiis, hortis, pertinentiis, proprietatibus et bonis, nec non sacra et profana supellectile caeterisque rebus, juribus et actionibus suis universis, mensae episcopali Spirensi, ita quod liceat moderno et pro tempore existenti episcopo Spirensi illorum omnium et singulorum corporalem, realem et actualem possessionem per se vel alium seu alios ejusdem nomine, propria auctoritate, etiam absque vitio spolii libere apprehendere et perpetuo retinere fratresque illic ad praesens degentes inde ejicere et ad alia sui ordinis loca transferre ac ad dictos eorum superiores remittere, nec non in ipsa domo seminarium ecclesiasticum ad orthodoxae fidei conservationem et propagationem ac juventutis piam et religiosam educationem atque in doctrina christiana instructionem, quod infra annum omnino fieri debeat, erigere et instituere, nec non fructus, redditus, proventus, jura, obventiones et emolumenta ejusdem domus percipere, exigere et levare ac in dicti seminarii usus et sustentationem convertere, metropolitani aut provincialis vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo concedimus, unimus, annectimus et incorporamus, proviso tamen, quod ecclesia praedicta debitis non fraudetur obsequiis, sed ejus portentur onera consueta et insuper monasterium monialium hujusmodi ab ordine praedicto et pro tempore existentibus illius generali, provincialibus, commissariis, praelatis, ministris et aliis superioribus, eorumque omnimoda jurisdictione, visitatione, correctione et superioritate, ita quod illi seu ab eis deputati nullam in monasterium ejusque abbatissam et moniales ac res et bona, jurisdictionem, correctionem, visitationem, superioritatem seu administrationem de caetero habere aut exercere possint, neque valeant, auctoritate et tenore praedictis penitus et omnino eximimus

Digitized by Google

et liberamus, ipsumque monasterium ac illius abbatissam et moniales, pro tempore existentes, curae, visitationi, correctioni et omnimodae jurisdictioni pro tempore existentis episcopi praedicti tam in spiritualibus, quam temporalibus subjicimus, ac eidem episcopo pro tempore existenti, ut per se ipsum vel alios viros probos et idoneos dictum monasterium illiusque abbatissam, moniales et personas, quoties sibi videbitur, visitare ac in illorum statum, regulas, instituta, regimen, statuta, consuetudines, vitam, ritus, mores et disciplinam tam conjunctim, quam divisim ac tam in capite, quam in membris diligenter inquirere, nec non sacrorum canonum et generalium conciliorum decretis ipsiusque ordinis institutis inhaerendo, ac prout occasio rerumque qualitas exegerit, quaecunque mutatione, correctione, emendatione, revocatione atque et ex integro edictione indegere cognoverit, reformare, mutare, corrigere ac etiam de novo condere, condita sacris canonibus et dicti ordinis institutis non contraria confirmare, abusus quoscunque tollere, regulas, institutiones, observationes et disciplinam regulares, si exciderint, modis congruis restituere et redintegrare ipsasque moniales ad debitum et honestum vitae modum revocare et clausurae subjicere ac quidquid inde statuerit et ordinaverit, perpetuo observari facere, delinquentes et a regulae praescriptione aberrantes, prout canonicae requirunt sanctiones et alias sibi videbitur expedire, punire et castigare, res et bona, tam suppressae domus, quam monasterii hujusmodi male alienata, distracta vel alias occupata recuperare ac ad jus et proprietatem mensae et monasterii praedictorum respective reducere, contradictores quoslibet et rebelles, eisque auxilium, consilium vel favorem publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio praestantibus, cujusque status, gradus, ordinis, dignitatis et conditionis fuerint, per pecuniarias et quascunque alias arbitrio suo imponendas vel infligendas poenas, ac demum censuras ecclesiasticas aliaque opportuna juris et facti remedia, quibuscunque exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, privilegiis, appellationibus, reclamationibus, protestationibus et aliis supterfugiis prorsus cessantibus et postpositis, compescere, nec non legitimis super his habendis, servatis processibus, poenas et censuras ipsas et iteratis vicibus aggravare, interdictum ecclesiasticum interponere et, si opus fuerit, auxilium brachii saecularis invocare caeteraque in promissis et circa ea ne-

Digitized by Google

cessaria quomodolibet et opportuna facere, dicere, gerere et exsequi libere et licite possit et valeat, plenam, liberam et omnimodam facultatem, potestatem et auctoritatem, eisdem auctoritate et tenore etiam perpetuo concedimus et impartimur, praesentes quoque literas nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae vel alio quovis defectu et eo, quod interesse habentes seu praetendentes vocati et causae, propter quas emanarunt coram metropolitano seu ordinario vel quocunque alio, examinatae et justificatae non fuerint, notari, impugnari, invalidari aut in jus vel controversiam revocari, retractari seu adversus eas quodcunque juris, facti vel gratiae remedium impetrari posse, nec non, si secus super his a quocunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus, districtius inhibentes praedictis, senatui, nec non dicti ordinis superioribus et ministris ac quibusvis aliis personis, quacunque dignitate et auctoritate fungentibus, in virtute sanctae obedientiae ac sub excommunicationis latae sententiae aliisque arbitrio ejusdem episcopi infligendis, moderandis et applicandis poenis, ne ipsum episcopum pro tempore existentem super praemissorum omnium executione molestare, perturbare et inquietare aut alias effectum earundem praesentium in aliquo revocare vel impedire quocunque modo audeant vel praesumant, non obstantibus exemptionibus, immunitatibus, libertatibus et aliis praemissis, nec non quatenus opus sit, nostris de non tollendo jure quaesito et exprimendo valore beneficii tam uniti, quam uniendi ac unionibus committendis ad partes, vocatio interesse habentibus, nec non Lateranensis concilii, uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis, fieri prohibentis, aliisque apostolicis, nec non in provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus et generalibus constitutionibus et ordinationibus, ac domus, monasterii et ordinis praedictorum juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus atque legibus et municipalibus et imperialibus, nec non mare magno et bulla aurea nuncupatis aliisque privilegiis, indultis et literis apostolicis illis eorumque superioribus et personis, sub quibuscunque tenoribus et formis ac cum quibusvis et derogatorum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, nec non irritantibus et aliis decretis, per quoscunque Romanos pontifices, praedecessores nostros, ac nos et sedem apostolicam et per modum statuti perpetui

Digitized by Google

ac initi, stipulati et jurati contractus, et motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter seu etiam ad imperatoris, regum, ducum aut aliorum principum instantiam aut eorum contemplatione vel intuitu in genere vel in specie et aliis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus etiam, si alias de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma, in illis tradita, observata, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter et expresse harum serie derogamus eaque omnia, in quantum praemissis obesse aut illorum executionem et effectum retardare possent, omnino tollimus et abolemus, contrariis quibuscunque, aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possit per nostras apostolicas non facientes plenam et expensam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die nona julii, millesimo quingentesimo octuagesimo, pontificatus nostri anno nono. Cae. Glorierius. Collata Peter Obernburger.

Vnd vns darauff diemutigs vleiss gebetten, das wir bemelten zweyen Gotts heusern zum besten vnd deren genzliche zerstorung vnd verodung zu verhueten, auch seiner andacht vnd dero stifft zu gnaden, in angeregte pabstliche suppression, extinction vnd incorporation des barfusser closters, dergleichen die exemption, concession vnd subjection sanct Claren Gotts hauss, von vnser vnd des reichs wegen zu bewilligen, dieselbig zu confirmiren vnd zu bestetten vnd seiner andacht notwendigen schein daruber mitzutheilen, gnediglich gruchten: deshalben wir angesehen solch bemelts vnsers fursten bischoff Marquardts zu Speier diemuetig zimblich pitt, auch die annemen vnd nuzlichen dienst, so seine andacht weyland vnsern lobseligen voreltern vnd vns viel lange jahr herr als vnser kaiserlicher cammerrichter vnd sonst in viel andere weg gehorsamlich erzeigt, noch teglich thut vnd hinfuro nit weniger zu laisten erputig ist, auch wohl thun kann, mag vnd soll vnd darum mit wolbedachtem muet, gutem rath vnd rechter wissen in vorberuerte pabstliche in-

Digitized by Google

corporation, concession vnd subjection obbenannter beider Gotts heuser nit allein gnediglich bewilliget vnd vnsern willen vnd consens geben, sondern auch dieselbige alles ires innhalts vnd begriffs confirmirt vnd bestetet. Thun des consention, bewilligen, confirmiren vnd besteten solche auch von Romischer kayserlicher machtvollkommenheit fur vns vnd vnser nachkommen am heiligen reiche, wissentlich vnd in crafft diss brieffs, was wir daran von rechts vnd gnaden wegen consentiren, confirmiren vnd bestettigen sollen vnd mogen, vnd mainen, sezen vnd wollen, dass obinserirte pabstliche bulla, incorporation, concession vnd subjection in allen vnd jeden jren wortten, puncten, clausuln, articuln, inhaltungen, mainungen vnd begreiffungen ganz kreftig vnd mechtig sein, steet, vest vnd vnverbruchlichen gehalten vnd volzogen werden, vnd sich derselben vorbemelter vnser furst, bischoff Marquard zu Speier vnd alle seiner andacht ordentliche nachfahrn am selben stifft geruwiglich frewen, geprauchen vnd geniessen sollen vnd mogen, von allermenniglich vnverhindert. Vnd gebieten darauf allen vnd jeden churfursten, fursten, geistlichen vnd weltlichen, prelaten, graven, freyen herrn, rittern, knechten, hauptleuten, landtvogten, vizdomben, vogten, pflegern, verwesern, amptleuten, schultheissen, burgermeistern, richtern, rheten, burgern, gemeinden vnd sonst allen andern vnsern vnd des reichs vnterthanen vnd getrewen, was wurden vnd standes oder wesens die sein, insonderheit aber vnsern burgermeister vnd rath der statt Speier sampt gemeiner burgerschaft vnd inwohnern daselbst, ernstlich vnd vestiglich mit diesem brieff vnd wollen, dass sie mehrgenannten bischoff Marquardten zu Speier vnd seiner andacht nachkommen, wie obsteht, an mehrangeregten pabstlichen incorporation, concession vnd subjection der beiden closter zum barfusser vnd sanct Claren vnd diesem vnserm kaiserlichen consens, confirmation vnd bestettigung nit hindern, noch irren, sondern seiner andacht vnd dero nachkommen derselben geruwiglich frewen, gebrauchen, geniessen vnd genzlich darbei bleiben lassen, alss lieb einem jeden sey, vnser vnd des reichs schwehre vngnad vnd straff vnd darzu ein pene, nemlich funffzig mark lotigs goldts, zu vermeiden, die ein jeder, so offt er freventlich hierwider thete, vns halb in vnser vnd des reichs cammer vnd den andern halben theil offtgedachtem bischoffen zu Speier vnd seinen nachkommen vnnachlesslich zu bezahlen verfallen sein

Digitized by Google

solle. Mit vrkuntd diss brieffs. besigelt mit vnserm kaiserlichen anhangendem insiegel. Geben auff vnserm koniglichen schloss zu Prag den zwelfften tag des monats septembris, nach Christi vnsers lieben herrn gepurt funffzehen hundert vnd im achtzigsten, vnserer reiche des Romischen im funfften, des Hungarischen im achten vnd des Behemischen auch im funfften jahre. Rudolff. Vice ac nomine reverendissimi domini D. Danielis, archiepiscopi, archicancellarii et electoris Mogruntini, vt. Svieheuser, Dr. Ad mandatum caesareae majestatis, A. Erstenberger.

---

325. *Eberhard bischof zu Speyer gebietet den stiftsherren zu Bruchsal, den angestellten bittgängen beizuwohnen. Speyer, 1591 aug. 6.*

Eberhardus Dei gratia episcopus Spirensis et praepositus Weissenburgensis etc. honorabilibus in Christo nobis dilectis, decano, seniori et capitulo ecclesiae collegiatae beatae Mariae virginis in Bruchsal, salutem in Domino. Cum hactenus dominus Deus, nostris dubie procul exigentibus peccatis, nos continuis quasi et assiduis imbribus et tempestatibus procellisque visitet et sic fructus terrae, quos nobis hoc anno abunde satis superque copiose clementer ostendit, extenuare et subtrahere minitetur, nosque in omnibus tribulationibus nulla alia remedia habeamus opportuniora, quam oculos in coelum levare ac orationibus assiduis dominum Deum invocare placareque: nos non tantum in civitate, sed etiam per universam dioecesim nostram Spirensem publicas processiones ac supplicationes indicendas esse decrevimus atque indiximus. Cum autem pastoribus nostris in oppido nostro Bruchsalensi, ut hujusmodi supplicationes die dominica seu alicujus sancti festo, post mandati insinuationem ipsis factam proxime sequenti, ex suggestu publicarent atque feria tertia processionem secundum praescriptum modum instituerent et singulis septimanis usque ad festum divi Galli continuarent, mandari fecerimus et ratio ipsa dictitat, ut totus dicti oppidi nostri clerus hujusmodi sollemnibus processionibus intersit et unanimiter cum caeteris Christi fidelibus preces ad divinam majestatem cum omni demissione et humilitate mentis, pioque animi affectu fundat. vobis omnibus et singulis supradictis in virtute sanctae obedientiae mandamus, quatenus indictas et institutas supplicationes omnibus et singulis personis ecclesiae vestrae publicetis eisque auctoritate nostra

Digitized by Google

praecipiatis, ut una vobiscum et pastoribus praelibatis, nec non populo fideli devote ac pie processioni seu processionibus hujusmodi intersint et omnia, quae in tali actu facienda requiruntur et praescripta sunt, perficiant. In cujus fidem et testimonium sigillum nostrum secretum praesentibus est appensum. Datum Spirae sexta mensis augusti, anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo primo.

---

326. *Das domcapitel zu Speyer überlässt den jesuiten die St. Christoph's capelle daselbst sammt einem daran stossenden hause. Speyer,* 1598 *nov.* 3.

In nomine Domini, amen. Notum sit omnibus et singulis praesentes literas inspecturis, visuris aut legi audituris, quod nos Andreas ab Oberstein, decanus, totumque capitulum majoris ecclesiae Spirensis, considerantes patrum societatis Jesu habitationem exiguam, a sacello ipsis pro divinis exercitiis assignato disjunctam, tum etiam ipsum sacellum pro numero accedentium nimis angustum esse et ob has causas multas gravesque, tam ipsis, quam dictum sacellum maxime festivis diebus frequentantibus (prout saepius nobis conquesti sunt et re ipsa compertum fuit) evenire difficultates et pericula imminere. Sollicita diuturnaque deliberatione circa media, quibus his malis mederi posset, versantes atque et reverendissimi et illustrissimi principis ac domini, domini Eberhardi, episcopi nostri, consilia exquirentes, aliud convenientius excogitare non potuimus, quam ut domum, quae praepositi ecclesiae nostrae erat, una cum sancti Christophori capella ipsorum contiguae habitationi adjungeremus, ut sic diruto interterminante muro una utriusque domus area fieret, habitatio commodior redderetur et ex sacello jam dicto aulaque adjuncta amplior aliqua et capacior capellae forma redderetur. Itaque interveniente consilio et auxilio reverendissimi episcopi nostri, cum domino Hugone Cratz a Scharpffenstein, moderno praeposito, egimus, ut is pro bono publico et catholicae religionis incremento hanc domum nobis cederet aliamque ejus loco praepositurae perpetuis in futurum temporibus assignandam acciperet. Is auditis et bene consideratis gravissimis, quae ad hoc nos permoverent, causis, prompto ac libenti animo se hac commutatione societatis patrum commoda et majorem Dei gloriam promovere velle declaravit. Consumato ergo cum domino praeposito permutationis contractu, patribus societatis (qui etiam hujus intuitu juri, quod alias illis in sacello

Digitized by Google

d. Nicolai erat assignatum, nobis iterum libere cesserunt) jam memoratam domum cum omnibus ejus aedificiis et adjuncto sancti Christophori sacello applicavimus et donavimus atque vigore praesentium donamus et applicamus, ut posthac istam domum ad commodiorem ipsorum habitationem accommodare, sacelli ampliorem formam disponere pro necessitate et eorum arbitrio possint, ita tamen, ut nullis ecclesiam nostram vel nunc vel futuris temporibus structurae sumptibus aut impensis gravare, tum neque exteriorem murum ultra consuetos hucusque et in quibus nunc continetur, limites versus plateam extendere, aut quidquam spatii plateae per eundem derogare sibique applicare conentur. Carceris quoque locum prope puteum in aera ad probandas jurisdictiones praepositi inviolatum, quam diu opus erit, conservent. Cum etiam in memorata sancti Christophori capella sint fundationes unius vicariae et duarum capellaniarum et patrum societatis laudabilis consuetudo sit secundum illorum institutiones fundatorum et benefactorum diligentem habere memoriam festaque patronorum singulari cultu suis temporibus celebrare, ne a dictarum vicariae et capellaniarum possessoribus quovis praetextu molestias aut importunitates patiantur, ipsis alia assignabuntur loca, in quibus obligationibus suis sine patrum turbatione satisfacere possint. Casu vero, quo saepedicti patres societatis has et alias quascunque capellas, aedes aut structuras a nobis ipsis donatas reservare vel inhabitare nolint aut quovis impedimento non possint, omnes libere sine ullius pretii refusione in nostram et ecclesiae nostrae potestatem et proprietatem redibunt, ita tamen, ut quandocunque memorati patres ad fundationes suas revertentur, omnes istae habitationes et structurae ipsorum sint et permaneant, nemoque ipsos ab iis arcere quovis praetextu possit et debeat. Hanc etiam donationem dicti patres societatis cum omnibus suprascriptis conditionibus grato et libenti animo acceperunt atque literas obligatorias sive reservales desuper nobis tradiderunt. Nos etiam Eberhardus Dei gratia episcopus Spirensis etc. hujusmodi donationem et collegii exstructionem necessariam esse et ad majorem Dei gloriam animarumque multarum salutem tendere comperientes, omnia et singula rata, firma et grata habentes, praesidio auctoritatis nostrae in omnibus et per omnia approbandam et confirmandam duximus, prout tenore praesentium approbamus et confirmamus ob hocque sigilli nostri appensione communiri fecimus. Nos quoque decanus et capitulum

Digitized by Google

supradicti in fidem et testimonium omnium et singulorum praemissorum tria ejusdem diplomata fieri et expediri ac sigillum capituli nostri coappendi fecimus, quorum unum nos decanus et capitulum servavimus, reliqua duo societati dedimus. Datum et actum Spirae in generali capitulo altera animarum, quae fuit tertia novembris, anno a Christo nato millesimo quingentesimo nonagesimo octavo.

---

327. *Beatus Moses, generalvicar zu Speyer, vereiniget eine pfründe im allerheiligenstifte mit der kreuzpfarrei daselbst. Speyer.* 1601 *feb.* 20.

Beatus Moses, juris utriusque doctor, ecclesiae cathedralis Spirensis sexpraebendarius, reverendissimi in Christo patris et domini, domini Eberhardi, episcopi Spirensis et praepositi Weissenburgensis, in spiritualibus vicarius generalis etc. Recognoscimus et ad universorum, quorum interest, intererit aut interesse poterit quomodolibet in futurum, notitiam deducimus et deduci volumus per praesentes, quod pro parte venerabilium et circumspectorum dominorum, decani et capituli ecclesiae sacrosanctae Trinitatis Spirensis, proposita petitio continebat, qualiter ipsi jam pridem capitulariter congregati ex certa sua scientia et animo deliberato, necessitate et utilitate jam dictae ecclesiae sic exigente, unanimiter concluserint, primam inibi vacaturam praebendam, praevio nostro consensu, altari crucis perpetuo incorporare ad eamque nobis personam maxime idoneam et qualificatam, tam ad verbum Dei cum fructu praedicandum, quam ad ecclesiastica sacramenta rite et decenter administranda, investiendam debite et legitime praesentare. Sed cum recordarentur venerabili domino Valentino Offenbacher, canonico ecclesiae collegiatae sancti Guidonis Spirensis, ad primam in mense capitulari vacaturam praebendam jam pridem vigore nominationis sibi factae jus esse quaesitum atque per obitum itidem venerabilis quondam domini Joannis Lochgeri, eorum concanonici, talis praebenda vacet ad praesens, tunc pro cessione sui juris pro hac saltem vice apud praedictum dominum Offenbacher obnixe institerint, atque cum eo, tunc coram nobis etiam personaliter constituto atque hujusmodi stipulationem acceptante, seque de suo jure devestiente, et praefatos dominos decanum et capitulum investiente in hunc, qui sequitur, modum, amicabiliter transegerint: quod videlicet postmodo va-

Digitized by Google

cantem et altari crucis incorporatam praebendam Casparo Offenbacher de Geinsheim, clerico Spirensis dioecesis et dicti domini Valentini Offenbacher nepoti, pro recompensatione jam factae cessionis ad primam in dicta ecclesia sacrosanctae Trinitatis, quocunque etiam mense vacaturam praebendam prae omnibus aliis liber futurus sit accessus, in quem finem et effectum quilibet capitularium juri nominationis, sibi ad praebendas in mense capitulari vacaturas competenti aut in posterum competituro, pro hac saltem vice, et donec dictus Casparus ad realem possessionem primae vacaturae praebendae pervenerit, libere et spontanee cesserint et renuntiarint. Quantum vero ad praebendas in mense papali vacaturas attinet, reverendissimam suam celsitudinem (humili petitioni pro parte dictorum dominorum capitularium sacrosanctae Trinitatis sibi factae favorabiliter annuens, quemadmodum per decretum nobis tunc exhibitum apparebat, pro nullo alio, quam praedicto Casparo apud Romanam curiam pro prima in dicta ecclesia, saepenominatae tamen ecclesiae collegiatae sacrosanctae Trinitatis Spirensis expensis et sumptibus in omnibus et per omnia impetranda) preces sese oblaturam gratiose promisisse. Praeterea cum per statuta dictae ecclesiae jam pridem sancitum et observatum sit, ut nullus canonicorum post adeptam realem et actualem possessionem ante quadriennium proximum post dominicam novam incipiendo ad perceptionem fructuum admittatur, dictos tamen dominos decanum et capitulum conclusisse praefatoque Valentino promisisse, quod dicti quatuor anni exspectantiae in favorem dicti Caspari a die dominica nova, qua possessionem vigore primi juris capere potuisset, computando, currere inciperent, ita ut unus, duo, tres aut omnes quatuor anni exspectantiae, antequam possessionem capere possit, effluant. Tunc primo canonico moriente, recta et sine ulla contradictione ad possessionem et perceptionem fructuum tunc vacantis praebendae eum admittendum fore et esse, prout eum ex nunc, ut ex tunc et econtra praesentium tenore admitterent et admissum esse vellent. Quapropter pro parte eorundem dominorum decani et capituli nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus super praemissis consensum nostrum benignum praebere et opportune providere dignaremur. Nos igitur vicarius in spiritualibus generalis supradictus, qui nostris potissime temporibus cultum divinum augere ecclesiarumque collegiatarum utilitati et necessitati consulere libenter et summa intendimus

Digitized by Google

vigilantia, dictorum dominorum decani et capituli sacrosanctae Trinitatis petitionibus tamquam justis et rationi congruis annuentes, omnia et singula supradicta, coram nobis, ut praemittitur, deducta, expressa et exposita, auctoritate nostra ordinaria ex certa scientia justisque rationibus ad hoc nos moventibus approbamus per praesentes, literasque has exinde fieri et sigilli officii nostri vicariatus jussimus et fecimus appensione communiri. Et nos decanus et capitulum supradicti in testimonium omnium eorum, quae supra, sigillum nostrum parvum his literis appendi curavimus, praesentibus ad hoc Philippo Mechler et Joanne Ludovico, consistoriorum Spirensium procuratoribus, juratis testibus ad praemissa vocatis atque requisitis. Datum et actum Spirae XX. mensis februarii, anno Domini millesimo sexcentesimo primo.

328. *Eberhard bischof zu Speyer erkauft von dem deutschordensmeister Maximilian von Oestreich das schloss Altenkirrweiler sammt zugehörde. Mergentheim,* 1602 *feb.* 4.

Memoriale ad summum pontificem subjunctum. Primo dominus legatus breviter suae sanctitati exponet, qualiter felicissimae recordationis papa Gregorius decimus quintus pro summo et paterno erga Spirensem episcopatum amore, non solum vehementissime solicitus fuerit, qua ratione omnia monasteria aliaque ecclesiae Spirensis bona, eidem dudum ante per principes electores Palatinos nefariis modis erepta et profanis usibus impie mancipata, expulsis jam debellatisque violentis istis invasoribus, dictae ecclesiae tanquam verae dominae et a qua nullo quantumvis longissimi temporis decursu, titulo etiam quovis divelli possunt, restitui unirique valeant, cujus rei causa sua sanctitas non solum hortatorias reverendissimo et illustrissimo principi nostro electori, episcopo Spirensi, miserit, sed etiam sacram caesaream majestatem requisierit, uti eadem auxilio brachioque suo saeculari Spirensem ecclesiam in bona ista postliminio jam reversa iterum immitti curare vellet, prout in proxime praeterito electorum conventu Ratisbonae sua majestas, visis et probe ponderatis omnibus juribus, titulis et documentis, episcopatus possessionem, jam ante legitimo modo apprehensam, per decretum clementissime confirmavit. Perpendit insuper animoque paterno revolvit sua sanctitas, in quas angustias omniumque rerum penuriam episcopatus Spirensis tot perpessus clades, spoliatis, exustis et subversis urbibus, castris, pagis, villisque, redactus fuerit, quodque reverendissimus illius dioeceseos episcopus, sublatis jam extinctisque ordinariis mensae suae subsidiis, aegerrime ac ne vix quidem commissum sibi

Digitized by Google

gregem diutius ibi pascere et protegere, nedum dignitatem statumque principis continuando servare possit. Quam ob rem ulterius benignissime in conceptis habuit, utrum duo monasteria de novo recuperata, nimirum Limpurg cum filiali in Seebach et Euserthal, ratione cujus prioris hoc tempore aegre quidem mille, posterioris vero ad quingenti ducati auri de camera jam antea expressi sunt, ex nunc et in posterum mensae episcopali superaddi et incorporari possint? Optimorum horum conatuum feliciorem successum et effectum sua sanctitas immatura morte praeventa videre non potuit. Unde factum, ut post felicissimum suae sanctitatis obitum non solum incorporatio fieri nequierit, sed etiam ipsa monasteria et ecclesiastica bona maximam sui partem a statibus et principibus aliis etiam tam ecclesiasticis, quam saecularibus personis nunc temporis vehementissime appetantur, quin imo de facto invadantur et ab ecclesia Spirensi divellantur. Quocirca modernus pontifex enixius exorandus, ut ea, quae praedefuncta sanctitas animo sanctissimo destinaverat, suffragante manu excipere et ad extremum colophonem deducere dignare velit. Id hac ratione fiet, si ad exemplum beatissimi autecessoris sacram caesaream majestatem, serenissimum electorem ducem Bavariae, serenissimum Hispaniarum infantem, archiducem Austriae Leopoldum, denuo paterne hortetur, ut quaecunque monasteria et praedia, ad ecclesiam Spirensem pertinentia, in sua potestate habent, eidem ocius restitui curent et in reliquis particulis, quas multifario jure episcopus Spirensis Palatino tanquam hosti suo publico ademit et in possessionem redegit, pacifice relinquant, imo et defendant. Cum etiam ambo superius nominata monasteria Limpurg cum sua filiali in Seebach et Euserthal episcopali mensae incorporari consentiat et siquidem jam ante utriusque nomine redditus ad mille et quingentos ducatos, nimirum pro Limpurg et pro Euserthal expressi fuerint, dominus legatus huic summae, quantum fieri poterit, insistat et incorporationem praedictam vel per viam secretam vel in componendis expediat, attento, quod cum ordine Cisterciensi, quoad monasterium in Euserthal de novo componendum sit. Reliqua praeter haec duo monasteria quod attinet, quando quidem soli Spirensi episcopo, exclusis omnibus aliis, ipsae fundationes primaevae, jus ordinationis, dispositionis et pro re nata mutationis etiam tribuunt atque reservant, humillime a sancto pontifice petendum esse, ut nobis sine cujus-

Digitized by Google

que contradictione liceat ista monasteria vel ad illum statum redigere, in quo fuerunt ultimum et eo tempore, quo Palatini ea invaserunt, vel si moderni temporis status ecclesiaeque principalis Spirensis, utpote capitis et fundamenti omnium horum monasteriorum, utilitas atque necessitas forsan aliud suadeant, de iis ordinare, quo fundatorum intentioni inprimis satisfiat, gloria Dei promoveatur et bonarum literarum studia incrementum exinde capiant, nos denique ratione officii et conscientiae nostrae securi esse possimus.

---

342. *Urban VIII. pabst ermahnt den kaiser Ferdinand II. die vom bischofe zu Speyer in der Pfalz in besitz genommenen klöster und kirchen zu schirmen.* *Rom,* 1623 *oct.* 21.

Urbanus papa octavus. Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem. Sacerdotii jura et ecclesiarum bona cum legum canonumque praesidio circumvallentur, par etiam est catholicorum principum patrocinio communiri. Id autem omni studio curare accipimus majestatem tuam, cujus victoriae non solum Austriaci imperii propugnacula, sed etiam christianae reipublicae gaudia fuerunt. Omnino his temporibus tanto vindice egebat catholica religio, ad cujus contumeliam haeretici desertores de sacerdotum caede et templorum latrocinio saepe gloriabantur, sed qui perfidiae atque impietatis patrocinium proditor Palatinus suscepit ecclesiasticas divitias, quas devoravit, evomuit et de ventre illius extraxit eas dominus potens in proelio. Praecipue vero in devicto Palatinatu inferiori sacerdotalis authoritas respiravit et cum manum suam misisset hostis ad omnia desiderabilia ejus, tandem aliquando in veterem aliquorum bonorum possessionem rediit. Spirensis autem ecclesia, quae propior periculo fuit, cum quasdam collegiatas et monasteria recuperaverit, egere se nunc caesareo patrocinio sentit. Timet enim, ne, quod illi beneficium salutaria legionum tuarum arma pepererunt, id in praesentia politica magistratuum illorum consilia ereptum aut imminutum eant. Quod quidem si contingeret, videmus, quanta gloriae pars detrahi posset triumphis majestatis tuae, quos scimus haberi velle in orbe terrarum flagella impietatis et fidei munimenta. Proni nos de imperatorii nominis laude et Spirensis ecclesiae incolumitate soliciti, hortamur in praesentia majestatem tuam, ne patiaris a caesareis ministris in Palatinatu degentibus detrimentum

Digitized by Google

ullum Spirensi episcopatui monasteriisque jam pridem ab eo recuperatis inferri. Disseret hoc negotium venerabilis frater Carolus, episcopus Aversanus, nuntius apostolicus, cujus verbis eandem, quam nostris, fidem habere poterit majestas tua, cui apostolicam benedictionem amantissime impartimur. Datum Romae apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris, die vigesima prima octobris, anno millesimo sexcentesimo vigesimo tertio, pontificatus nostri anno primo. Joannes Ciampolus.

---

343. *Urban VIII. pabst ermahnt den nuntius zu Cöln die besitzungen und gefälle des Speyerer bischofes zu schirmen.* *Rom.* 1623 *nov.* 18.

Urbanus papa octavus. Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Ad aures nostras non sine gravi animi nostri molestia pervenit, quod nonnulli suae salutis immemores, praedia, terras, domos, possessiones, jura, jurisdictiones, decimas, prata, pascua, sylvas, census, fructus, redditus, proventus et alia bona mobilia et immobilia, ad mensam episcopalem ecclesiae Spirensis, cui venerabilis frater Philippus Christophorus praeesse dignoscitur, legitime spectantia et pertinentia, in maximum dictae ecclesiae detrimentum evidentemque animarum suarum perditionem, indebite occupare, usurpare et detinere, ac in suos usus convertere non verentur. Nos pro ea, quam omnibus ecclesiis impendere tenemur, sollicitudine, praedictae ecclesiae Spirensis indemnitati, quantum nobis ex alto conceditur, providere volentes, fraternitati tuae, de cujus pietate, prudentia, fide ac honoris Dei zelo plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus et mandamus, ut quorumcunque praediorum, terrarum, domorum, possessionum, pratorum, sylvarum, pascuorum, jurisdictionum, bonorum, jurium, censuum, fructuum, reddituum et proventuum hujusmodi occupatores, detentores et usurpatores, cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis fuerint, ad restitutionem, relaxationem et satisfactionem eidem Philippo Christophoro episcopo, faciente authoritate nostra, cogas et compellas et desuper contra et adversus illos, tam conjunctim, quam divisim, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas ac etiam pecuniarias aliaque opportuna juris et facti remedia, invocato etiam ad hoc auxilio brachii saecularis, procedas, ac eosdem sententias, censuras et poenas hujusmodi dam-

Digitized by Google

nabiliter incurrisse declares omniaque et singula, quae in praemissis et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna fuerint, facias, dicas, geras, exerceas et exequaris, super quibus omnibus plenam et liberam facultatem et potestatem apostolica authoritate tenore praesentium concedimus et impartimur, non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Bonifacii papae octavi, praedecessoris nostri de una et in concilio generali aedita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis authoritate praesentium ad judicium non trahatur, ac aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris, die decima octava novembris MDCXXIII., pontificatus nostri anno primo.

---

344. *Philipp Christoph, bischof zu Speyer, erhält von Rom bescheid über seinen diöcesanbericht des jahres* 1623. *Rom,* 1624 *april* 22.

Illustrissime et reverendissime domine. Quando afflictus et convolutus rerum Germanicarum status amplitudinem vestram illustrissimam ecclesiae suae deesse non sinit, sanctissimus dominus noster perhumaniter admisit ad sanctorum apostolorum limina illius nomine visitanda dominum Joannem Guilielmum Husman a Namedy, archidiaconum Trevirensem et praepositum Limpurgensem. Is vero sacrosanctas beatorum apostolorum basilicas pie ac devote veneratus de istius ecclesiae statu deque amplitudinis vestrae illustrissimae virtutibus ac sollicitudine vere pastorali ore scriptoque eam uberiorem reddidit relationem sacrae congregationi cardinalium concilii Tridentini interpretum, quibus ejusmodi relationum excipiendarum munus injunctum est, ut illustrissimi patres plane noverint, amplitudinem vestram illustrissimam ex eo tempore cum superiore quadriennis ejusdem visitationis munus obivit, non modo de pristina virtute ac pietate nichil remisisse, sed amplius se ipsum magis magisque in dies superasse, nullisque perterritam difficultatibus, quaecumque ad catholicam religionem firmandam servandamque pertinere visa sunt, summo studio egregioque exemplo incunctanter praestitisse, adeo ut ex illius eximia virtute acrique zelo spem maximam conceperint, oves illis commissas in his fluctibus non modo de veteri et avita religione nihil remissuras, sed etiam quotidie adversus sectariorum insidias viresque paratiores fu-

Digitized by Google

turas. Deus optimus maximus amplitudinis vestrae illustrissimae praeclaros conatus fortunet illamque diutissime servet incolumem. Romae die vigesima secunda aprilis, millesimo sexcentesimo vigesimo quarto. Amplitudinis vestrae illustrissimae ac reverendissimae ad inserviendum paratus cardinalis de Torres.

---

345. *Urban VIII. pabst überlässt dem erzherzoge Leopold von Oestreich die bezüge dreier klöster in der diöcese Speyer auf drei jahre.* ***Rom.*** 1624 *mai* 30.

Urbanus papa octavus. Dilecte fili, salutem et benedictionem. Cum, sicut accepimus, tu in territorio seu praefectura Germershemii per charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum, Romanorum regem in imperatorem electum, in provincia Palatinatus inferioris, assignato, tria regularia monasteria e manibus haereticorum, sive alias indebite occupata atque usurpata, benedicente Domino, recuperaveris, nos tam felici et prospero eorundem monasteriorum statui consulere, quam tibi, quem pro fidei catholicae defensione gravissima expensarum onera subire oportuit, de aliquo subventionis auxilio, quatenus cum Domino possumus, providere volentes, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, curam, regimen et administrationem dictorum monasteriorum in spiritualibus et temporalibus ac alias in omnibus et per omnia tibi cum facultate omnia et singula circa ea quomodolibet necessaria et opportuna faciendi, dicendi, gerendi et exercendi, quae eorundem monasteriorum abbates, qui pro tempore fuerunt, facere, dicere, gerere vel exercere potuerunt seu et debuerunt, ac quod omnes et quoscunque eorundem monasteriorum, bonorum, jurium et actionum detentores, occupatores ac et perturbatores agendi et procedendi eorumque bona recuperandi eaque eisdem monasteriis restituendi, nec non fructus, redditus, proventus, jura, obventiones et emolumenta, ex ipsis monasteriis provenientia quaecunque, percipiendi, exigendi, levandi, recuperandi eaque eisdem monasteriis restituendi et incorporandi, nec non fructus, redditus, proventus, jura, obventiones et emolumenta, ex ipsis monasteriis provenientia quaecunque, percipiendi, exigendi, levandi, recuperandi illaque, provisis prius eorundem mona-

Digitized by Google

steriorum ecclesiis, si quae sint, de rebus ad divinum cultum necessariis, nec non idoneis sacerdotibus, qui in eisdem monasteriis seu ecclesiis ab eis dependentibus missas celebrent, sacramenta ecclesiastica populo, eisdem monasteriis seu ecclesiis ab eis dependentibus subjecto, administrent, in tuos usus et utilitatem convertendi ad triennium proximum duntaxat, tenore praesentium committimus et demandamus, decernentes praesentes nostras literas et ex eo, quod quicunque in praemissis interesse habentes eis non consenserint, nec ad id vocati fuerint, aut alias ex quovis capite quantumvis legitimo et juridico de suspectionis vel obreptionis aut nullitatis vitio notari, annullari vel invalidari seu ad viam et terminos juris reduci, aut adversus eos quodcunque juris, gratiae vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sicque per quoscunque judices, quavis auctoritate fungentes commissarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et sacrae Romanae ecclesiae cardinales, vel de latere legatos et vicelegatos ac sedis apostolicae nuntios, sublata eis et eorum cuilibet quavis alii judicandi et interpretandi facultate vel auctoritate, ubique judicari et diffiniri, ac irritum et inane, si secus super hiis a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, non obstante regula nostra de jure quaesito non tollendo ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non monasteriorum et ordinum, quorum fuerint etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et si pro illorum sufficienti derogatione alias de illis eorum, quae totalis, tamen specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tamen, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut triennio hujusmodi durante monasteriorum praefatorum statum et bona describere et annotare, notamque hujusmodi ad nos, cum primum poteris, transmittere cures, quodque finito triennio hujusmodi praesentes nullae sint, quodque praevisio, collatio et omnimoda illorum monasteriorum hujusmodi dispositio ad nos

Digitized by Google

et ad Romanum pontificem pro tempore existentem omnino spectet et pertineat, ita ut de illis per sedem apostolicam duntaxat disponi possit, ac irritum similiter et inane, si secus super hiis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die trigesima maji MDCXXIV., pontificatus nostri anno primo.

---

346. *Urban VIII. pabst verleiht dem bischofe zu Speyer Philipp Christoph die dreijährige verwaltung und den genuss der in der Kurpfalz gelegenen kirchen und klöster. Rom*, 1624 *aug.* 7.

Urbanus papa octavus. Venerabilis frater! salutem et apostolicam benedictionem. Felici collegiatarum aliarumque ecclesiarum, nec non monasteriorum et aliorum locorum regularium in dioecesi Spirensi existentium, e manibus haereticorum non ita pridem benedicente Domino recuperatorum, statui, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, nec non de tua fide, prudentia, integritate et catholicae religionis zelo plurimum in Domino confisi, de venerabilium fratrum nostrorum, sacrae Romanae ecclesiae cardinalium, negotiis Palatinatus praepositorum consilio, curam, regimen et administrationem ecclesiarum, monasteriorum et aliorum regularium locorum hujusmodi, exceptis tamen collegiata ecclesia in Clingenmunster et monasterio in Eusersthal cum filiali Heilsbrouch, quarum administratio dilecto filio Leopoldo ex archiducibus Austriae, ecclesiarum Argentinensis et Passaviensis administratori, auctoritate apostolica deputato, ad certum tunc expressum tempus eadem auctoritate concessa exstitit, nec non praepositura in collegiata pariter ecclesia loci de Limburg cum filiali in Seebach et Scheonfeldt, quam dilectus etiam filius Franciscus ex comitibus de Lodronis in titulum vel in commendam ad sui vitam ex concessione apostolica obtinet, in spiritualibus et temporalibus ac alias in omnibus et per omnia tibi cum onere tamen, supportatis prius eorum et cujuslibet eorum debitis et consuetis oneribus, si quae sint, illas reparandi et restituendi cum suis canonicis et religiosis in pristinum statum, in quo ante occupationem erant ac facultatem communem omnes et quoscunque ecclesiarum monasteriorumque, nec non regularium locorum hujusmodi, bonorum, jurium et actionum detentores, occupatores et etiam perturbatores agendi et procedendi, eorumque bona

Digitized by Google

recuperandi eaque eisdem ecclesiis, monasteriis et locis regularibus restituendi et incorporandi, ad triennium proximum duntaxat, dicta auctoritate tenore praesentium committimus et demandamus. Decernentes praesentes nostras literas etiam ex eo, quod quicunque interesse in praemissis habentes eis non consenserint, nec ad id vocati fuerint, aut alias ex quovis capite quantumvis legitimo et juridico de subreptionis aut nullitatis vitio notari, annullari vel invalidari, seu ad viam et terminos juris reduci, aut adversus eos quodcunque juris, gratiae vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sicque per quoscunque judices, quavis auctoritate fungentes commissarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, etiam sacrae Romanae ecclesiae cardinales et de latere legatos et vicelegatos ac sedis apostolicae nuntios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et diffiniri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, non obstantibus regula nostra de jure quaesito non tollendo ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non monasteriorum et ordinum, quorum fuit, etiam jurato, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus etsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis eorumque totis, tamen specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tamen, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut triennio hujusmodi durante ecclesiarum et monasteriorum praedictorum statum et bona describere et annotare, notamque hujusmodi ad nos, cum primum fieri poterit, transmittere cures et finito triennio hujusmodi praesentes nullae sint eo ipso, quodque provisio, collatio et omnimoda monasteriorum hujusmodi dispositio ad nos et Romanum pontificem pro tempore existentem omnino spectet et pertineat, ita ut de illis per sedem apostolicam duntaxat disponi possit, ac irritum et inane, si secus super his a

Digitized by Google

quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Datum Romae apud sanctam Mariam majorem, sub annulo piscatoris, die septima augusti, millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, pontificatus nostri anno secundo.

---

347. *Urban VIII. pabst überlässt dem bischofe Philipp Christoph zu Speyer einige klöster und stifter. Rom*, 1624 *aug.* 10.

Urbanus papa octavus. Venerabilis frater! salutem et apostolicam benedictionem. Fraternitatis tuae zelus literis proxime ad nos datis mirum in modum eluscescit, dum de nonnullis monasteriis collegiatisque ecclesiis, intra fines Spirensis dioecesis consistentibus, quae singulari Dei beneficio impietatis faucibus ereptae, catholicae religioni sunt restitutae, tam multa tantoque cum animi affectu ad nos perscribis. Omnium igitur, quae fuse nobis exposuisti, habita ratione, ut praefatorum monasteriorum et ecclesiarum bono opportunius consulatur, eo apostolica benignitate adducti sumus, ut eorum administrationem aliqua saltem ex parte christianae prudentiae tuae committendam esse decreverimus, sicuti ex aliis nostris literis fraternitas tua plenius cognoscet. Illud unum videtur superesse, ut iis, quae ad catholicam religionem promovendam Deique cultum augendum te praestiturum alacriter polliceris, digna optimo antistite sedulitate, opere ipso respondeas, quod quidem dum nos jure speramus, apostolicam tibi benedictionem amanter impartimur. Datum Romae apud sanctam Mariam majorem, sub annulo piscatoris, die decima augusti MDCXXIV., pontificatus nostri anno secundo.

---

348. *Philipp Christoph, bischof zu Speyer, bittet den pabst um die befugniss vom irrglauben lossprechen zu dürfen. Philippsburg*, 1624 *oct.* 2.

Post debitam obedientiam et sacrorum pedum oscula. Beatissime pater! Ob pericula nova imminentia proximis hisce diebus ad dioecesim meam Spirensem veni, in qua calvinisticam haeresim in iis paucis locis, qui a potentioribus ex multis jam primitus ecclesiae meae per me vindicatis modo adhuc residui sunt, afflante divino numine exterminabo. Quod episcopale officium non majora odia adversariorum in me concitare poterit, cum jam ipsis persecutione, odiis et opprobriis ad summitatem fatigatis media, ut spero, amplius nocendi desint,

Digitized by Google

et meam nunc sit, non aliam ex inimicis vindictam, quam conversionem animarum reportare et tunc satiabor, cum haec apparuerit. Et licet a sanctitate vestra non ita dudum mihi tanquam archiepiscopo Trevirensi facultas absolvendi ab haeresi elargita sit, cum tamen dioeceses non confundandae sint et prior facultas Spirensis jam exspiraverit, rogo sanctitatem vestram, quam possum humillime, ut eandem facultatem absolvendi ab haeresi mihi quoque tamquam episcopo Spirensi gratiose conferre dignetur, quo per plures operarios messem uberiorem hisce in partibus colligere possim, Deum optimum maximum ex animo precans, ut sanctitatem vestram sanctae universali ecclesiae catholicae quam diutissime servet incolumen. Ex castro meo Philippico die secunda octobris, anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quarto. Philippus Christophorus.

---

349. *Philipp Christoph. erzbischof zu Trier und bischof zu Speyer, verlegt das chorstift zu Herd nach Philippsburg. Philippsburg.* 1625 *märz* 24.

Philippus Christophorus, Dei gratia archiepiscopus Trevirensis, sacri Romani imperii per Galliam ac regnum Arelatense archicancellarius et princeps elector, episcopus Spirensis, administrator Prumiensis perpetuus, praepositus Weissenburgensis etc. Ad perpetuam rei memoriam. Ex injuncto nobis desuper pastoralis servitutis officio cunctarum, praesertim insignium collegiatarum ecclesiarum, nostris dioecesibus subjectarum, ac personarum ecclesiasticarum divinis laudibus deditarum assidue intenti profectibus, nostros ad ea propensius dirigimus cogitatus, per quos ecclesiis et personarum earundem commoditatibus, cum potissimum subesse conspicitur opportunitas, utiliter et salubriter provideatur. Hinc est, quod animo ruminantes calamitosum statum, in quem nostra collegiata ecclesia B. M. V. in Herd nostrae dioecesis Spirensis, a multis retro annis, orto statim religionis dissidio, miserabiliter detrusa fuit, dum contra primaevi fundatoris intentionem, contra diversa a Romanorum imperatoribus ac regibus concessa privilegia, quibus praedicta Herdensis nostrae Spirensi ecclesiae in proprium tradita est, contra expressum denique jus nostrum et exercitium advocatiae similiter multifarie nobis confirmatum, praedecessores nostri animo condolenti et non remediabundo permittere debuerunt, qua-

Digitized by Google

tenus antedicta collegiata Herdensis potentiore manu quondam electorum Palatinorum supprimeretur, personae ecclesiasticae inibi Deo famulantes propellerentur, exercitium et laudes divinae extinguerentur, sanctorum reliquiae sacraque ornamenta, nec non omnia privilegia et documenta diriperentur, redditus et proventus ad honorem Dei destinati ad alienos et prafanos usus applicarentur. Et quidem huic calamitati et subversioni saepedictae ecclesiae vix unquam mederi posse jam dudum quasi desperatum erat, donec tandem post longas fidelium preces juste Dei judicio et auxiliantibus caesareis statuumque sacri imperii catholicorum armis, injustus detentor omnimodo exauthoratus et saepefata ecclesia Herdensis libertati pristinae vindicata, nobis ecclesiaeque nostrae Spirensi cum omnibus suis juribus restituta fuit. Porro nos ulterioribus dispendiis et incommodis dictae collegiatae Herdensis, quantum ex alto nobis permittitur, occurrere cupientes et sollicite attendentes, quod eadem ecclesia in rure aperto, rusticano pago, loco non tuto et longe a civitate ulla vel oppido securo, solitaria quasi et ad quam populi multitudo ad divina audienda raro confluere valeat, sita sit, quodque modernorum ac futurorum bellorum tempore (quae totam hanc patriam miserrime proh dolor devastarunt) personae ejusdem ecclesiae ibidem secure morari et Deo vota sua commode persolvere salvique in rebus ac bonis suis persistere non possint et exinde non frustra timendum foret, ne quamvis cultum divinum pristinum in antiquo loco resuscitare et continuare niteremur, pauci admodum residere curarent, aut minus secure bellorum formidine praepediti praestare id possent, quibus etiam accedit, quod saepedicta collegiata Herdensis in modernis structuris suis et aedificiis undique ruinam irrecuperabilem tum minitetur, tum eadem jam antea ex majore parte collapsa et in alienos usus mutata sint, adeo ut pro eorundem damnorum reparatione et instaurandis commodis personarum ecclesiasticarum habitationibus multorum de futuro annorum redditus vix sufficere videantur. Idcirco saepedictae ecclesiae de meliori securitate ac loci commoditate prospicere volentes, nos in eum finem oppidum nostrum Philippicastrum, in quo nostra episcopalis solet esse residentia, et ad quod totius dioecesis nostrae in dies videtur confluxus, eligendum et designandum judicavimus, tum quod dictum oppidum ex natura loci bene munitum, ac nihilominus vallis et propugnaculis sumptuose instructum, ut ab omni

Digitized by Google

inimicorum injuria facile defendi valeat, tum quod inibi praeclara sit ecclesia parochialis et chorus pro aliquot personis ad persolvendum cultum divinum accommodatus, tum etiam quod redditus et proventus una cum quibusvis aliis necessariis facili negotio, seu terra seu navigio, trium horarum intervallo ex Herd commodissime Philippicastrum deferri valeant. Matura insuper deliberatione habita, nec non de venerabilium devotorum, nobis in Christo sincere dilectorum, decani et capituli ecclesiae nostrae Spirensis consilio pariter et assensu, antedictam collegiatam ecclesiam sub invocatione gloriosissimae virginis ac Dei genitricis Mariae in Herd situatam ac ejus personas cum omnibus et singulis collegialibus insigniis, canonicatibus et praebendis, dignitatibus, personatibus, administratione, officiis, vicariis, quarumcunque qualitatum, quibus ipsa ecclesia et personae in antea gaudebant, nec non bonis mobilibus et immobilibus, redditibus, proventibus, juribus et obventionibus, jure, titulo et causa quibuscunque, insuper cum privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, praerogativis, gratiis et antelationibus seu aliis incumbentibus honoribus et favore, ad personas et ecclesiam in Herd antedictam, conjunctim et divisim quomodolibet spectantia et pertinentia, in et ad ecclesiam parochialem sancti Nazarii martyris in oppido nostro Philippicastro hac auctoritate nostra ordinaria, ad omnipotentis Dei ac gloriosae virginis Mariae totiusque curiae coelestis laudem et gloriam transferimus ac jam dictam sancti Nazarii parochialem in collegiatam ecclesiam elevamus et in nostram specialem episcopalem protectionem, citra cujuscunque archidiaconi aut vicarii in spiritualibus inspectionem (ut antea) suscipimus, statuimus quoque et ordinamus, quod deinceps ea ipsa ecclesia sub invocatione intemeratae virginis ac Dei genitricis Mariae, sancti Philippi apostoli ac sancti Nazarii martyris, pro cellegiata honorari ac reputari, personae quoque ecclesiasticae, tanquam veri canonici a nobis instituti, divinum cultum inibi more aliarum collegiatarum et vigore nostri expressi mandati et praescripti specialis, studiose ac pie persolvere, insuper autem quaecunque parochiales functiones et sacramentorum administrationes inibi etiam pro more antiquo et usitato, non obstante hac unione collegiali, solicite exercere ac ad invicem conformari debeant. Ad persolvendum autem cultum divinum antedictum amodo constituimus et praesentium tenore ordinamus, quod in eum finem

Digitized by Google

octo ecclesiasticae personae in ordine presbyteratus actualiter constitutae seligi et deputari debeant, qui ex nunc deinceps futuris temporibus divina officia diurna simul ac nocturna in antefata collegiata Philippicastrensi indesinenter exerceant reliquaque omnia exequantur, prout praesens nostra constitutio subsequenter prolixius praescribit. Ex his octo personis ecclesiasticis sex continuo in saepe dicta collegiata Philippicastrensi residebunt ac divina, uti praemittitur, devote obibunt; reliqui vero duo in abolita ecclesia Herdensi suas habitationes, sub communi mensa, per reddituarium illius loci administranda, continuabunt et in administrandis divinis et praedicando verbo Dei sese invicem sublevabunt, nec non miserorum subditorum calvinistica tabe infectorum conversioni solicite incumbent. Inter eosdem sex primarium locum obtinebit is, qui parochi functionem gerit ac deinceps decani simul ac parochi titulo alios antecedet, hunc in dignitate custos, illum vero scholasticus ex ordine sequetur, porro caeteri quinque ecclesiastici canonicorum nominibus indecorabuntur. Ad collegiatam ejusmodi, nec non praebendas canonicales nemo assumendus, nisi a nobis legitime et in scriptis praesentatus, prout etiam collationem seu provisionem et investituram decanatus ac functionis parochialis nobis ac successoribus nostris per expressum praesentium tenore reservamus. Decanus ac caeteri quinque canonici in Philippicastro residentes sedulo intendent, ut quotidie sacrum missae sacrificium, nec non matutinae et vesperae cum horis reliquis consuetis, more aliorum collegiatarum, in ecclesia superius designata, pro temporum qualitate rite et devote cantentur, quibus officiis divinis quilibet (nisi forsan functiones parochiales aut ad concionem praeparatio aliaeque causae relevantes impediant) interesse tenebitur et alias praesentiis, vicissim ad singulas horas juxta praescriptum nostrum deputatis, non gaudebit et quidem si unus vel alter ex quinque canonicis tempestive et ante inceptas horas ad divinos cultus accedere neglexerit, is horae et diei istius praesentia pro qualitate delicti frustrandus veniet, et si id saepius reiterare vel se omnino absentare praesumat, non solum ab unius, sed plurium retro dierum praesentiis juxta decani discretionem privandus aliisque poenis mulctandus erit. Et quia nostra constitutio et ordinatio praesentium tenore praecipit, ut non solum decanus tanquam parochus ejusque ordinarius capellanus concionibus ordinariis vacent, sed praecipue etiam

Digitized by Google

necessarium est, ut similiter reliqui canonici alternis vicibus sese continue in concionibus et profitenda catechesi exerceant et quaecunque etiam parochialia ad mandatum decani vel ejus mandatarii contradictione ministrare adjuvent. Hinc quoque districte ordinamus, ut tum decanus ipsemet, tum custos et scholasticus una cum caeteris tribus canonicis junioribus in alumnatu nostro, quem nos ante hac specialiter fundavimus et sufficientibus structuris in illum finem accommodavimus, communi mensa et domo fruantur et legibus ejusdem alumnatus usitatis stricte utantur sicque absolutis divinis officiis in finem praedictum quotidie certis horis incumbant, quatenus sese ad conciones publicas qualificatos reddere ac postmodum ad parochias promoti animarum curae melius intendere valeant. Singulis diebus duo habebuntur missae sacrificia, quorum primum mane sub matutinis, alterum inter sextam et nonam more ordinario, bis vero in hebdomade pro fundatoribus et benefactoribus (adjunctis suo loco et tempore vigiliis mortuorum) eadem observabuntur. Per has vero constitutiones primissariae diebus festivis ante hac solitae nihil derogabitur, sed aeque bene is, cui hactenus incumbit, eam suo tempore servare tenebitur, prout nec alias laudabiles parochiales consuetudines, hucusque observatas, aut a praedecessoribus nostris fundatas, ullo modo hisce abrogare intendimus aut usquam abrogari volumus. Ut vero cultus divinus inter canendum eo decentius, perfectius et citra confusionem quovis tempore persolvatur, indulgemus, ut cantor saecularis expresse in illum finem suscipiatur, qui singulis horis et officiis ante inchoationem eorundem primus adesse et ultimus abire, chorum regere et juniores canonicos, nec non chorales ad cantum et chori ministeria instituere, ad omnia officia praecinere ac generaliter quaecunque ad cantum spectantia juxta decani ordinationem disponere ex juramento tenebitur et vicissim praesentiis ordinariis una cum frumenti et vini participatione gaudebit. Is vero si tardius ad officia venire aut se totaliter sine expressa licentia subtrahere tentaverit, similiter imo gravius in ipsum animadvertetur, prout superius de caeteris canonicis jam ante constitutum est. Indulgemus etiam, ut ludimagister sive magister scolae pro tempore existens ingressum chori quotidie habere et in matutinis, missae sacrificio et vesperis frumentum, vinum et pecunias juxta praescriptas nostras praesentias deservire valeat, in caeteris vero horis nihil deserviturus. Praeter quem

Digitized by Google

ludimagistrum quatuor insuper pueri chorales assumentur, qui omnibus officiis divinis intererunt et in cantu juvabunt, illisque victus et amictus necessarius in praefato alumnato nostro sumptibus collegii praefati subministrabitur. Quas quidem praesentias universales, quantum una cum aliis necessariis requiretur, nos per reddituarium nostrum, in domo collegiali Herdensi habitantem, ad manus destinati praesentiarii in singulos annos certo et indubie sine decani aut canonicorum sumptibus assignari curabimus, omnem superiorem jurisdictionem et administrationem super reliquis nobis plenarie reservantes. Decano vero id incumbet, ut praesentiae deservitae per deputatum fideliter dispensentur, laudabilis ordo in divinis habeatur, cuique suae functiones citra confusiones praescribantur et canonici omnes in bona vivendi norma, sedulo studio et virtutum zelo conserventur. Si quid contrarium a quovis committatur, decanus poenam seu mulctam juxta discretionem praefiget. Praesentiarius suorum receptorum et expositorum quotannis coram nobis vel nostris ad id delegatis, in praesentia tamen decani, fidelem reddet computum et omnia per syngraphas testificari studebit. Hanc igitur nostram translationem, ordinationem, constitutionem, dispositionem, et omnia et singula contenta in eadem, perpetuis futuris temporibus firmam et inviolatam haberi et permanere, nec non omnes et singulos canonicos aliosque ecclesiae praeinsertos ministros in praementionatum tenorem ejusdem ante suam susceptionem jurare ac nihilominus bis in anno capitulariter ipsis praelegi volumus atque mandamus, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque, jure quoque addendi, minuendi, corrigendi reliquisque omnibus nobis semper salvis. Adjicientes, quod circa hanc translationem authoritas et dispositio sacrae sedis apostolicae super eadem, nec non etiam super praepositura ejusdem collegiatae ecclesiae, quae inibi major dignitas semper antehac fuit, dum commode fieri poterit, pro majoris roboris firmitate ac praemissorum omnium confirmatione, nec non defectuum, si qui forsan intervenissent, suppletione quantocius implorabitur. In quorum omnium fidem et testimonium praesentes nostras literas jussimus et fecimus nostri sigilli appensione communiri. Datae in castro nostro Philippico die lunae post dominicam palmarum, die vicesima quarta mensis martii, anno millesimo sexcentesimo vicesimo quinto.

Digitized by Google

350. *Philipp Christoph erzbischof zu Trier und bischof zu Speyer stiftet und ordnet das clericalseminar zu Philippsburg.* *Coblenz*, 1628 *juli* 12.

Philippus Christophorus, Dei gratia archiepiscopus Trevirensis, sacri Romani imperii per Galliam et regnum Arelatense archicancellarius et princeps elector, episcopus Spirensis, administrator Prumiensis perpetuus ac praepositus Weissenburgensis. Ad perpetuam rei memoriam. Ex injuncto nobis desuper pastoralis officii debito, quatenus oves nobis concreditae populusque nostrae dioecesis Spirensis per exemplares parochos verbique Dei fideles ministros et praecones, qui vitae morumque probitate verbo et exemplo praebeant, pascatur ad omnemque pietatem inducatur, assidue intenti, nostros ad ea propensius diriginus conatus, per quae plebaniis successu temporis hac in parte utiliter et salubriter provideatur. Hinc est, quod animo ruminantes hoc nostrum calamitosum saeculum, quo maxima, qualis non a multis retro saeculis visa, penuria plebanorum, qui gregi dominico doctrina et exemplo praefici possint, partim ob turbulenta tempora, quae aliquot ab hinc annis huc usque continuarunt, quibus studia hinc inde sepulta fuere, partim ob reformationem vicini palatinatus et marchionatus, ubi maxima sacerdotum copia necessaria fuit, sat superque ob oculos cernitur, indeque non raro fiat, ut parvuli petentes panem non habeant, qui frangat illis et secundum Domini edictum, messis quidem copiosa, operarii autem pauci, rogandusque dominus messis, ut operarios mittat. Porro nos ulterioribus dispendiis et incommodis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere et sollicite prospicere volentes, collegiatam ecclesiam et alumnatum in praetactum finem in castro nostro Philippico pro aliquot personis, tam actu in gradu presbyteratus existentibus, quam suo tempore ad sacerdotium promovendis, erigi et fundari fecimus, in quo seminario tamquam semina et plantulae novellae hinc inde per dioecesim nostram veluti fructuosissimae arbores, ubi excultae excreverint, suo tempore maximo cum fructu et salute animarum multarum transplantari et fructificari possent. Ac quatenus omnia ad majorem Dei gloriam nostramque praementionatam intentionem magis solide dirigantur, amodo constituimus et ordinamus, quatenus parochus ibidem existens, tam collegiatae ecclesiae decanus, quam ejusdem nostri seminarii rector, in communi refectorio, in mensa tamen separata, refectionem sumat, ad reliquos omnes tam sacerdotes, quam alumnos inspectionem habeat, ac quantum

Digitized by Google

ejus officium permittit, praesens nunc quilibet temporibus horisque statutis vocationi, ordinationi et officio suo satisfaciat, ocularem inspectionem habeat, cui etiam pro tempore, donec alius substituatur, praelectionis casuum conscientiae, quibus tam sacerdotes, quam alumnos interesse volumus, demandavimus, pro labore recompensam statuentes. Ac ut haec omnia officia debite exsequi valeat a minoribus et tempore occupationum a majoribus horis in choro psallendis, praetactum decanum nostrum eximimus et exemptum declaramus. Haec item omnia, ut facilius executioni mandarentur, nos in aedibus parochialibus, ubi spatium satis amplum, locus percommodus et horti, pro tempore aedificium commodum pro aliquot personis erigi et exaedificari — donec alias, si ita divino numini placuerit, aliter disponentes in ipsum castrum nostrum omnia transferamus — mandavimus. Et quia praecipuus noster scopus est hac nostra fundatione et ordinatione providere, quatenus oves nobis concreditae dioecesis nostrae per exemplares parochos, verbo et exemplo praelucentes, qui in hoc nostro seminario educentur et instituantur, pascantur: hinc quoque districte praecipimus et ordinamus, ut non solum decanus, tanquam parochus, ejusque capellanus concionibus ordinariis vacent, sed et reliqui omnes sacerdotes alternis vicibus sese continue in concionibus aliisque parochialibus ad mandatum decani, alumni vero in profitenda catechesi exerceant. Quoad regulas vero et distributionem temporis, ordinem domus et officiorum distributionem, hasce nostras subscriptas regulas, ordinationes et constitutiones districte in virtute sacrae obedientiae servari volumus et mandamus. — Regulae. — I. Fundatores et benefactores hujus ecclesiae et seminarii, prout et nostram personam, intentionem necessitatesque nostrae dioecesis Spirensis peculiariter in suis sacris sacrificiis et precibus assidue perpetuis futuris temporibus Deo commendabunt. II. Omnes, tam sacerdotes, quam alumni, decano legibusque, ab ipso praescriptis et praescribendis, sine contradictione obtemperent. III. Nemo sine facultate decani aut ejusdem substituti domo egrediatur ad alia loca, peculiariter aedes civium, nec foris nisi habita licentia pernoctet. IV. Per domum, studiorum praesertim tempore, nemo vagetur, nec unus alterum in studiis perturbetur. V. Vestes gestent talares et cum palliis, exeuntes in ipso residentiae loco sacerdotes, tunicellis ipsa genua nonnihil cooperientes, gestabunt, ubique maxime in publico, honestatis

Digitized by Google

et humilitatis memores, laicis bono exemplo praelucentes, sacerdotes singulis septimanis, alumni vero singulis ad minimum mensibus, confessario stabili, qui ipsis assignabitur, confitebuntur et communicabunt. VI. Horis omnibus in choro singulis diebus debite psallando et cantando sacerdotes, alumni vero duntaxat majoribus horis et sacrae missae officio, qua par est pietate et modestia, prout latius constitutiones Philippicastrum translatae Herdensis ecclesiae praescribunt, intererunt. VII. Ad subdiaconatus ordinem nemo admittendus sine praevia confessione generali de tota vita et sacro initiatus presbyterio ante primitias per hebdomadam exercitia spiritualia praemittat, quatenus sic ad tantum sacrificium et dignitatem debite praeparet. VIII. Ubi aliqua ob eorum errata iis fuerit mulcta aut poena a superioribus irrogata, ne sint in subeundo difficiles, sed potius animum mores suos corrigendi prae se ferant. — Dispositio temporis. — I. Mane hora quinta e somno excitati signo campanulae, compositis necessariis, omnes ad medium sextae cum silentio et modestia conferent sese ad mututinas. II. Ad septimam usque ad octavam praelectioni casuum conscientiae omnes, tam sacerdotes, quam alumni, intererunt. III. Prandii tempore ad medium undecimae, quod per tres circiter quadrantes durabit — exceptis diebus recreationum — curandum est, ut silentium, temperantia et modestia observetur ac cum corpus edendo reficitur, animus simul ex pii alicujus libelli lectione reficiatur. IV. Post prandium et coenam hora integra ad valitudinem fovendam pro recreatione dabitur, qua finita omnes sese in cantu exercebunt et exercitio communi musices intererunt, quo finito rursus ad studia se conferent. V. Tempus, quod superest a vesperis usque ad coenam — exceptis diebus recreationum — partim studiis et repetitionibus praelectionis casuum et contraversiarum, partim aliis piis exercitiis ad arbitrium regentis tribuent. VI. Hora octava lectis lytaniis pro benefactoribus seminarii et examinata conscientia, quibus omnibus unius horae quadrans tribuetur, dato signo omnes cum silentio et modestia cubitum discedant, nec ulli postea scribere aut legere aut lumen habere sine peculiari facultate decani licebit. — Officiorum distributio. — I. Officium decani. Decano id incumbit, ut omnes regulae suprascriptae, sicut et constitutiones ecclesiae Herdensis, Philippicastrum translatae, accurate serventur, laudabilis ordo in choro et domi habeatur, cuique functiones

Digitized by Google

suae citra confusionem praescribantur ac omnes, tam sacerdotes quam alumni, in praescripta bona vivendi norma contineantur, sedulo studio et virtutum zelo contra hasce regulas et constitutiones peccantes corrigere et mulctare. II. Officium procuratoris. Procurator praeter munia ecclesiastica, quae alias vigore regularum obire tenetur, omnia cum praescitu decani peraget; singulis item mensibus fidelem computum coram decano et quaestore, singulis vero annis coram nobis aut nostris ad id deputandis generalem rationem reddet; ordinem item praescriptum in omnibus accurate, cuique suum, nec plus, nec minus tribuendo, servabit; inventarium item omnium mobilium totiusque supellectilis, cum rationes fecerit, monstrabit. III. Officium cantoris et praesentarii. Praesentias deservitas singulis mensibus fideliter distribuet, suorum receptorum et expositorum quotannis coram nobis, aut nostris ad id delegatis, fidelem reddet computum; absentes in choro notabit ac singulis septimanis decano, quatenus praesentiae ipsis detrahantur, in scriptis tradet, chorum diriget praesesque erit musices ac ut omnes, tam sacerdotes, quam alumni, in utroque chorali et figurali instruantur, tam per se, quam per alios ad id deputatos fideliter curabit. — Officia hebdomadaria alumnorum a regente distribuenda. — I. Officium excitatoris. Hebdomadarius excitator mane quadrante ante alios surget et hora quinta signo campanulae, candelis accensis, reliquos omnes excitabit, aquam recentem in pelvim, prius bene mundatam, mittet, hypocaustum expurgatum mature in hyeme califaciens. II. Officium ministri mensae. Minister mensae curabit, ut refectorium, mappae, orbes, schyphi omniaque ad mensam pertinentia sint munda et ut mensa ordinario tempore sit strata, cibum potumque reliquis munde ministrabit ac post mensam omnia rursus honeste componens, refectorium claudet. III. Officium lectoris. Lector singulis diebus hora statuta campanula signum dabit ad mensam et ante mensam benedictionem praemittet; finita lectione gratiarum actionem subjunget, signoque dato ad recreationem, cum ministro et coquo cibum capiet. IV. Officium coqui. Coquus curabit, ut omnia ad culinam spectantia et necessaria tempestive habeat ad manus, sintque munde et bene cocti cibi horaque ordinaria praeparati, ne ordo mensae ulla ratione interturbetur. V. Officium janitoris. Janitor neminem ignotum aut etiam notum, qui alias ad alumnatum non pertinet, sine praevia intimatione apud

Digitized by Google

ab initio statim post adeptam divina favente gratia dignitatem praepositurae cathedralis ecclesiae Spirensis animum serio illuc intendimus, ut sacellum ad sanctam Luciam, ibidem in horto curiae nostrae situm, sed per fatale civitatis Spirensis incendium aliasque temporum injurias profanatum, dirutum ac primaeva sua fundatione et redditibus penitus orbatum, cultui divino restituatur insuperque necessaria quadam dote eidem noviter prospiciatur. Memores itaque saluberrimi illius moniti salvatoris nostri, Luc. XII. 33: Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in coelis, quo fur non appropriat, neque tinea corrumpit, propriis nostris sumptibus dictum sacellum sanctae Luciae in structura sua, tam exteriore, quam interiore reparari curavimus, ita ut nunc sacrum missae officium in eodem debita cum reverentia ac devotione commode celebrari queat, neque deerimus, quamdiu Deus ter optimus maximus vitam nobis benignissime concedet, de paramentis, candelis, vino aliisque ad rem divinam rite peragendam necessariis ac requisitis sufficienter adeo prospicere, ne opus sit curam praematurius gerere de novis paramentis acquirendis, excluso tamen casu plane extraordinario ac improviso, quem Deus clementer avertat. Destinavimus insuper summam bis centum florenorum Rhenensium pro nova dote et fundo hujus sacelli, quam summam elocavimus erga annuam pensionem quatuor pro centum computandam, secundum tenorem in instrumento originali praesentibus nostris literis fundationis annexo latius expressum, eminentissimum cardinalem episcopum et principem Spirensem humillime implorantes, ut quemadmodum sua eminentia praefatam summam bis centum florenorum pro dote sufficientem reputare non dedignabitur, considerata praesertim notabili illa circumstantia, quod nos ad dies vitae de omnibus necessariis paramentis aliisque ad cultum divinum requisitis sedule procurandis obstricti esse velimus ac debeamus, ita etiam permissionem consecrandi hoc sacellum et in eo publice celebrandi subinde per hebdomadam, praesertim vero diebus dominicis ac festivis sacrum missae officium, non tantum gratiosissime annuendo concedere, sed et summa sua authoritate ordinaria piam hanc intentionem suffulcire, praesentesque fundationis nostrae literas pro majori securitate in archivo reverendissimi capituli cathedralis Spirensis cum gratioso illius permissu deponendas ibidemque asservandas ad perpetuam earundum validitatem ac majus

Digitized by Google

robur clementissime confirmare velit. In cujus rei fidem hasce manu propria subscripsimus sigilloque nostro gentilitio communivimus. Augustae Trevirorum die decima tertia mensis januarii, anno millesimo septingentesimo sexagesimo octavo. (L. S.) Alexander Joannes Henricus, liber baro de et in Sickingen.

---

394. *August bischof zu Speyer erstattet bericht an den pabst über seine diöcese. Bruchsal,* 1773 *aug.* 3.

Sanctitati vestrae ex instrumentis ante aliquot annos a me Romam transmissis indubie adhuc mihi compertum erit, quod post mortem eminentissimi domini cardinalis de Hutten, piissimae recordationis praedecessoris mei, unanimi capitularium suffragio electus fuerim episcopus Spirensis, die 29. mensis maji anno 1770 ac 16. septembris ejusdem anni, postquam clementissima sanctae sedis confirmatio dictae electioni accessit, consecratus ab episcopo S. R. E. principe Hildesiensi, assistentibus duobus episcopis suffraganeis Wormatiensi et Spirensi. Ratio officii et debita erga sanctam sedem reverentia sane postulasset, statim in primo consecrationis anno sanctitati vestrae referre in scriptis super statu episcopatus mihi commissi, quod etiam promptissime praestitissem, nisi necessitas exegisset ante omnia cogitare de bono ecclesiae cathedralis mihi desponsatae, ac dein per memet ipsum prius exactam capere informationem super reliquo episcopatus mei statu, antequam alio desuper referre potuerim. Prima dein muneris episcopalis mei cura erat, serio meditari reaedificationem ecclesiae meae cathedralis, quae jam ab annis octoginta quatuor, nempe anno 1689 fatali incendio bellico, ex quo civitas Spirensis cum caeteris regionibus vicinis lugubrem faciem induit, in cineres redacta ac vix non penitus solo aequata jacuit, quam praeter omnium exspectationem, eo quod nemo antecessorum meorum vastuosum hoc onus restructionis in se suscipere ausus fuerit, expensis sumptuosissimis anno priori incepi ac Deo adjuvante intra spatium aliquot annorum perficere seu consummare firmiter statui. Secunda pastoralis officii sollicitudo eo tendebat, ut ante omnia ecclesias mihi concreditas, tam collegiatas, quam parochiales visitarem, specialiter autem vitam, capacitatem ac indolem parochorum, utpote meorum in sollicitudine parochiali adjutorum, eaque finita pro rei exigentia tam monitis paternis, quam congruis ordinationibus clerum praesertim cu-

Digitized by Google

ratum debite ordinarem sicque sanctae sedi perfectam dare possem super statu interiori et vero dioeceseos meae informationem. Capta nunc plena informatione, omnibusque tam pro augmento religionis, quam bono cleri in ordinem bene dispositis, editis hunc in finem literis pastoralibus copialiter hic adjunctis, nec non instructione pro patribus missionariis erecta quoque hic apposita, sanctitatem vestram nunc plene instructus accedo ac statim episcopatus mei in scriptis articulatim et exacte erectum una cum mox dictis ordinationibus per agentem meum in curia Romana, Antonium d'Augustinis, consiliarium meum ecclesiasticum intimum, ad hoc specialiter constitutum, manibus sacratissimis hisce offero, simulque ut eandem super toto dioecesis meae complexu plenissime informem, catalogum animarum meae curae concreditarum hic appono, tremula certe manu, animo maturiori volvens, quanta requiratur prudentia, vigilantia, animi fortitudo ac discretio tantam populi copiam ad scopum salutis bene regendi, quamque grave sit super his omnibus supremo judici tandem respondere. Hinc est, quod sanctitatem vestram enixissime rogem, quatenus paternis suis consiliis et auxiliis mihi assistere et cum laborando ecclesiae meae particulari, simul etiam bono ecclesiae universalis allaborem, manum suam, sin opus praeponderet, fortiter supponere, praesertim vero, ut in tantis laboribus viros egregios, in dandis consiliis maturos ac in promovenda fide orthodoxa indefessos, semper ad latus habeam, canonicatus et praebendas in dioecesi mea in mensibus reservatis vacantes nonnisi talibus, quos bene eruditos, ecclesiae maxime proficuos, ad tractandas dijudicandasque in vicariatu meo causas ecclesiasticas idoneos et expertos, nec non probatae virtutis fide mea episcopali recommendavero, clementissime conferre dignetur. Quod attinet clerum regularem in meo episcopatu subsistentem, non paucos eosque graves tempore regiminis mei animadverti excessus, quos usque huc ad conservandam ejusdem in publico existimationem summa cum discretione pertractavi, vel paterne monendo, vel communicando cum eorum patribus, provincialibus, iisque inquisitionem ulteriorem committendo, sperans me scopum intentum mediis ejusmodi lenioribus assecuturum. Referam autem sanctitati vestrae super hoc suo tempore peculiarius, aperiendo sensa mea ac media proponendo, quibus disciplina regularis multum collapsa et vix amplius primaevae institutioni similis, pro honore

Digitized by Google

ecclesiae, augmento religionis, uti et bono ipsomet monasteriorum absque strepitu aut ulla diminutione existimationis dicti cleri ad primaevum statum restitui possit. Caeterum pro feliciore incremento laborum meorum paternam benedictionem filialiter mihi exorans, inviolabili erga sacratissimam sanctitatis vestrae personam devotione perenno.

Lex et consuetudo relationum de statu ecclesiarum particularium summae sedi singulis quinquenniis aut primo inde ab obtenta consecratione anno exhibendarum formam ita determinavit, ut primo status ecclesiae materialis, deinde formalis sit exponendus; eidem proinde normae convenienter his secuturis repraesentatur status episcopatus Spirensis.

I. Status materialis ecclesiae Spirensis. — 1. Origo episcopatus Spirensis. — Origo hujus episcopatus ad remotissima a pluribus historicis rejicitur tempora, temporibus Childerici Franciae regis episcopo secundo civitatem fuisse donatam, profitentur quidam annales et eruditi de Jessio quodam, Nemetum jam saeculo quarto episcopo, varia referunt laude digna; verum haec obscura, minus probata nostraeque expositionis scopo parum sunt congrua. Ex probatioribus documentis constat, quod Conradus II., Henricus III. et Henricus IV. imperatores eundem episcopatum instaurarint variisque adjectis ditionibus et bonis locupletarint. 2. Situs et confinia. Tractui Rheni superioris ultro citroque adjacet hic episcopatus. Confines sibi habet Wormatiensem, Metensem, Argentinensem, Herbipolensem, Constantiensem et Augustanum; territoria, per quae se diffundit, sunt proprium Spirense, Palatinum, ducatus Bipontinus, Wurtenbergensis, marchionatus Badensis, variique adhuc comitatus et dinastiae minores, per quae se vel omnino diffundit, aut in quae saltim ex parte aliqua se porrigit, quorum, excepto tamen territorio Spirensi, incolae vel omnes vel sat multi modernorum Germaniae protestantium placita sequuntur. — 3. Privilegia et praerogativae episcopatus Spirensis. — Cum caeteris Germaniae episcopis haec habet communia episcopus Spirensis, ut jura territorialia per tractum terrarum ad se tanquam provasallum nomine feudi imperii pertinentium exerceat, in negotia tum circularia ad Rhenum superiorem, tum comitialia Ratisbonae tractanda influat et quidem eatenus propter unionem principalis praepositurae Weissenburgensis cum sua ecclesia perpetuam duplici suffragii jure (quod quidem in Germania tam frequens haud est) gaudeat. Inter reliquos episcopatus, qui sedem Moguntinam

Digitized by Google

tanquam metropolim suspiciunt, ecclesia Spirensis dignitate priorem habet nullam praeter Herbipolensem et Wormatiensem. — 4. **Numerus civitatum, oppidorum et pagorum ejusdem episcopatus.** — Sedes episcopalis est civitas Spirensis vetustissimis Germaniae urbibus coaeva, atque jam a caesare Cornelio Strabone Nemeti nomine celebrata, quanquam multis gravibusque de causis, annuente summa sede, per eminentissimum cardinalem de Schoenborn contigerit, ut episcopus Spirensis per majorem anni partem Bruchsaliae, ubi propterea conveniens etiam condidit ille palatium, commoretur. Plerique cives, uti et totus magistratus Spirensis, modernorum protestantium erroribus sunt dediti, rebusque ac studiis catholicorum maxime infesti, et cum magistratus ille jurisdictionem saecularem per civitatem fundosque illi proximos ac insuper jura liberae civitatis imperii exerceat, ei vix unquam deest occasio sua minus amica erga rem catholicam cogitata opere ipso comprobandi. Reliquae civitates, oppida et pagi, per quos jurisdictio ecclesiastica episcopi Spirensis se explicare posset, sunt plures ac quingenti; at cum ducatus Wurtembergicus ex omni, Bipontinus ex maxima, marchionatus Badensis ex media propemodum parte, a protestantibus, in Palatinatu vero quaecunque urbs aut pagus, tum a catholicis, tum a protestantibus sit inhabitatus, eadem jurisdictio secundum normam pacis Westphalicae admodum est suspensa et vix per ducenta loca in omnes incolas exerceri potest. — 5. **Status ecclesiae cathedralis.** — Ecclesia cathedralis a Conrado II. et Henrico III. imperatoribus e fundamentis erecta et ab Henrico IV. sculptili opere variisque ornamentis adeo fuit completa, ut, teste authore vitae ejusdem imperatoris, hoc opus super omnia regum antiquorum opera laude et admiratione dignum sit ac vix credi possit, qualem etiam ornatum ex auro, argento, lapidibus praetiosis et sericis vestibus illi ecclesiae contulerit, nisi cui contigit et videre. Interea circa finem prioris saeculi haec ecclesia subiit fata non satis deploranda, dum anno 1689 flammis bellicis vix non solo aequata praeter chorum et valde exiguam partem navis nihil retinuit, ac insuper augustis octo imperatorum mausoleis violatis expilata, diruta et fere penitus eversa est. Sub regimine antecessoris mei emin. cardinalis de Hutten eatenus ex legatis Schoenbornianis, nempe Francisci Georgii, electoris Trev. et Damiani Hugonis S. R. E. cardinalis ac episcopi et principis Spirensis tempore, quo eram decanus, non abs-

Digitized by Google

que maximis sumtibus, in circa ad 60—70 millia florenorum ac summo labore et periculo fuit reparata, ut pars illa, cui flammae bellicae pepercerunt, hucusque satis decenter cultui divino potuerit inservire; reliqua pars navis, quae per tres et octoginta annos diruta jacuit, me authore inde jam ab anno e suis ruinis exsurgere coepit, impensas licet praegranti huic operi minime suffecturas, tamen caeteroquin satis amplas, legarunt gemini mei avunculi de Schoenborn, emin. alter S. R. E. cardinalis et episcopus Spirensis, alter Trevirorum archiepiscopus et elector, reliquas annuente coelo supperaddet mea manus, et si mensuram meae fiduciae impleverit Dei benedictio intra annos quatuor vel quinque rem totam conficiet. In eadem ecclesia visenda est B. M. V. statua multum apud vicinos ex eo celebrata, quod divum Bernardum, qui anno 1147 Spirenses invisit et beatissimam quotidie per illam antiphonam: Salve regina, salutavit, per verba reciproca: Salve Bernarde! teste fama salutaverit et quod specialiter hic addendum, inter flammas totam basilicam devastantes haec imago intacta et incombusta permansit. — 6. **Personarum cathedralis ecclesiae numerus.** — Canonici ecclesiae cathedralis sunt octo et viginti, omnes probata nobilitate antiqua illustres, neque prius, quam hanc docuerint, admissi, neque deinceps secundum statuta omnibus Germaniae ecclesiis cathedralibus communia admittendi. Quindecim eorum sunt capitulures, reliqui domicellares, qui uti jure percipiendi fructus sunt destituti, ita nec ad residendum sunt obligati; inter illos praepositus et decanus jure dignitatum, scholasticus autem, cantor et custos personatuum jure eminent. Praeter hos canonicos adhuc octo et viginti eadem ecclesia numerat praebendatos et vicarios, horum numerum augent quatuor adhuc praebendati laici, qui eandem quotidie ecclesiam frequentant, horarum canonicaram loco ad persolvendas preces alias sibi suoque statui convenientes obligati. Secundum leges fundationis originariae numerus personarum officium divinum in hac ecclesia peragentium ascenderet ad centum et quatuor, ast injuriae temporum Spirae nonnisi memoriam largissimam ejusmodi fundationum, earum vero bona in manibus vicinorum principum et magnatum reliquere. — 7. **Officium divinum in cathedrali sequentibus absolvitur.** — 1. Singulis diebus totum officium cum summo sacro decantatur; 2. ab hora quinta matutina ad undecimam usque, quovis horae medio, sacrificia missae celebrantur; 3. diebus dominicis et

Digitized by Google

festivis bis populo catholico, tum Spirae commoranti, tum ex vicinioribus pagis accedenti, verbum Dei praedicatur. 4. Singulis diebus dominicis rudimenta fidei publice exponuntur juventuti. 5. Circa tempus vespertinum omni die decantatur antiphona Salve regina, et huic divini numinis ejusque sanctissimae matris cultui semper interest juventus studiosa, singulari lege ad id officii genus obstricta. 6. Denique in cathedrali hac etiam administrantur functiones parochiales paucioribus illis catholicis, qui intra limites ejusdem parochiae subsistunt, et propterea ibidem etiam baptisterium ad usus sacros est constitutum et inter vicarios unus munia curati sibi habet demandata. — 8. **Status ecclesiarum collegiatarum in civitate Spirensi.** — Harum tres Spira numerat. Primaria ss. Germano et Mauritio sacra tristem suam, quam incendia Gallica illi dedere, adhuc exhibet faciem; chorus ecclesiae et turnis stat adhuc erecta, navis autem nihil ostendat quam rudera. Canonicatus sive praebendas numerat decem ac insuper praeposituram. Altera, ss. Joanni evangelistae et Guidoni inscripta, nuper a suis ruderibus surrexit, decem pariter canonicatus ac praeposituram eidem destinavit antiquitas. Tertia, ss. Trinitati et omnibus sanctis dedicata, sordidam faciem, quam inde ab incendio Gallico contraxit, pariter mutavit cum nova; octo habet praebendas et praeposituram. Quaelibet harum trium collegiatarum gaudet jure parochiali intra certos civitatis limites olim valde dubios, nunc autem interventu cognitionis judicialis sat fixos et determinatos. — 9. **Status collegiatarum extra civitatem Spirensem.** — Una et praecipua cellegiata sita est in civitate Weissenburgensi sanctis Petro et Paulo apostolis et protomartyri Stephano sacra et ex jure suffragandi, quod inter reliquos imperii principes in comitiis ejusdem praepositus habet, sat celebrata. Canonicos cum custode et decano habet decem, insuper tres vicarios et ejus praepositura inde ab anno 1546 auctoritate summae sedis cum cathedra Spirensi est unita. Altera equestris in civitate Bruchsaliensi b. Mariae virgini et ss. apostolis Petro et Paulo sacra existit. Praeter undecim canonicos habet praepositum inter reliquos praelatos Rhenanos jure suffragandi in comitiis gaudentem, ad decem canonicatus non admittuntur nisi ex antiquis Germanorum nobilium familiis nati, undecimum possidet sacrae scripturae aut sacrorum canonum doctor, illique cohaeret obligatio singulis diebus dominicis et festivis e suggestu dicendi. Praeter hos

Digitized by Google

canonicos decem adhuc destinati sunt vicarii ad decantandum divinum officium idonei. Tertia collegiata in civitate Badensi est constituta. Eidem inserviunt praepositus, decanus, cantor, custos, adhuc tres canonici, quorum duorum praebendae non ita pridem fuerunt resuscitatae, et quatuor vicarii. Quarta collegiata extra Spiram in civitate Landaviensi est visenda. Habet illa decanum, canonicum curatum, duos alios canonicos totidemque vicarios; eo ex capite, quod civitas ista juribus majestaticis regis christianissimi fuerit subjecta, subinde nonnulla prodierunt impedimenta, authoritatem episcopalem satis accommodata ad bonum hujus ecclesiae interponendi et recentiori aetate ita tamen res composita fuit, ut mihi saltem meaeque jurisdictionis exercitio nulla hucusque remora se opposuerit. — **10. Status ecclesiarum parochialium.** — 1. In civitate Spirensi parochiae numerantur octo; at ratio temporis et subsecuta his in terris mutatio religionis ita tulit, ut his parochiis nec redditus, nec parochiani, ac proinde ultra nomen vix aliquid supersit. 2. Extra civitatem Spirensem ad eundem episcopatum pertinent parochiae 360, in duodecim archipresbyteratus divisae. His totidem praesunt archipresbyteri forenses, quorum munia eo praecipue spectant, ut defectus parochorum explorentur, ut si denunciati fuerint, authoritatis episcopalis interventu canonice corrigantur. Status plurium parochiarum ex eo, quod ultra mediam proventuum partem potissimum in Palatinatu sibi addixerint protestantes, sat est tenuis atque ita redactus ad incitas, ut si quandoque calix, ciborium, casula sit comparanda, aut subinde afflicto parocho vicarius adjungendus, summa cum difficultate saepius sit colluctandum. — **11. Numerus monasteriorum in dioecesi Spirensi.** — In dioecesi Spirensi unum extat monasterium (Alba dominarum dicitur) ante reliqua omnia memorandum. Continet hoc quatuordecim illustres feminas religioso voto Deo sacratas atque ductu unius abbatissae sub regula s. Benedicti viventes. Adjacet territorio seren. marchionis Badensis, qui cum extincta nuper stirpe Badeno-Badensi sibi ad possessionem tempore anni normalis a praedecessoribus habitam ejusdem abbatiae bona sibi restituenda putet, atque ex aliis etiam principiis jura domini territorialis in ejusdem terras vindicare sibi contendat, periculosa hujus monasterii res subjicit aleae et vix non supremo fato, nisi augustissima imperii tribunalia proprioribus sententiis afflictae sancti Benedicti familiae opem ferant, quae

Digitized by Google

diu invasionibus Badensibus violentissimis saepe repetitis cedere debuisset, nisi protectione episcoporum Spirensium defensa et usque huc salva mansisset. Praeter hoc quinque adhuc exstant in hac dioecesi domicilia patrum societatis Jesu. Hii ubique in erudienda juventute informandisque moribus ita sunt occupati, prout amata ab his patribus agendi ratio ferre solet. Patres capucini in eadem dioecesi monasteria incolunt quatuor et septem residentias. Franciscani strictioris observantiae duo et fratres minores s. Francisci unum. Augustiniani quatuor; dominicani et carmelitae unum; patres piarum scholarum, qui prima eruditionis docent elementa, collegium, habent unum. Porro monasteria monialium praeter id, cujus mentio primo loco injecta fuit, exstant quinque, quorum unum non ita pridem ante mortem serenissimi marchionis Badeno-Badensis suum cepit initium Rastadii. Ante infausta deformatae religionis tempora insignes adhuc existere tum abbatiae, tum alia inferiora virorum ac mulierum monasteria, at modo sola eorum superest memoria, nonnisi in antiquioribus documentis et scrutantibus ea animis conservata, redditus vero ad manus abeunt protestantium et in usus nonnisi profanos convertuntur. — 12. **Seminarium episcopale in dioecesi Spirensi.** — E sapientissima patrum Tridentinorum sanctione de instituendis seminariis similis fructus etiam succrevit dioecesi Spirensi. Parentem satis liberalem hujus seminarium habuit in eminentissimo cardinali de Schoenborn. Illud non conservare modo, sed etiam augere mihi hucusque curae cordique fuit. Illud modo complectitur alumnos sex et decem, qui ubi necessarii sibi notitia imbuti fuerint, subinde tanquam vicarii aliis curatis adjunguntur. — 13. **Numerus hospitalium.** — In territorio Spirensi tria sunt hospitalia, et quidem in residentia episcopali duo, quorum unum eminentissimus de Schoenborn sat largis fundavit impensis, mea manus additis aliquot florenorum millibus nuper auxit et pia defuncti suffraganei Adami Buckel voluntas legalis novem millibus florenorum anno priori amplificavit. Alterum pro civitate Bruchsaliensi et ejus incolis. Tertium vero in Deidesheim civitate ad principatum meum cis Rhenum pertinente satis large fundatum pro incolis dicti loci et duorum vicinorum pagorum Forst et Niederkirchen. Extra territorium mihi subjectum plura adhuc in dioecesi reperiuntur hospitalia, at in iis nequidquam meae cognitioni aut dispositioni est relictum. — 14. **Mons pietatis, aerarium pro alendis viduis**

Digitized by Google

destinatum aliaeque fundationes in pauperum usus designatae. — Mons pietatis his in terris in usu non est; leges imperii, quae pravitatem usurariam satis coercent, aliaeque piae largitiones, quae ejusdem vires facile supplent, ei locum haud reliquere. His ductus rationum momentis, nuper insignem pecuniarum vim se modo ad summam triginta millium florenorum extendentem ad usus viduarum designavi, cui quidem si ex norma praescripta accessiones quaedam fient, miserabilis hujus generis personae semper prompta habebunt subsidia. Praeter haec satis ampla tum a piis benefactoribus, tum et quidem principaliter ab eminentissimo domino cardinali de Schoenborn per erectionem diversarum cassarum utpote hospitalis pro patria, ulterius pro educatione filiorum et filiarum pauperum, nec non alterioris pro egenis et aegrotis peregrinantibus relicta fuere patrimonia, unde et egentibus subditis et aegrotantibus peregrinis parari possunt auxilia. — 15. Domus correctionis. — Haec cum jamdudum antecessores mei optarent ac sat longo intervallo praemeditati fuerint, suam in ipso regiminis mei exordio obtinuit perfectionem. In ea plectuntur facinorosi, docentur ignorantes, atque sic ecclesiae et reipublicae bono illa consulitur via, quae unice certorum hominum classi est accommodata. — 16. Confraternitates. — Harum jam plures vigent in ecclesiis praesertim parochialibus dioeceseos, atque eo potissimum collimant, ut vel memoria patientis Christi inter fideles excitetur, vel Deo eucharistico debitus latriae cultus conjunctioribus animis deferatur.

II. Status formalis ecclesiae Spirensis.

Hic quemadmodum varia, tum episcopi referentis officium pastorale, tum cleri utriusque eidem subjecti functiones, item et populi mores concernentia complectitur, ita per totidem distincta quasi capitula repraesentabitur. — Cap. I. Episcopum referentem concernentia. — 1. Residentia episcopi. — Hujus legibus hucusque una sede episcopali contentus ex asse satisfeci, cum per illud temporis intervallum, inde a quo pastorale officium suscepi, extra dioecesim nunquam pernoctarim. Interea non in civitate Spirensi et apud ecclesiam cathedralem, sed Bruchsaliae potius, quae pleno jure ad episcopatum pertinet, residere mihi datum est, cum ibidem sedes episcopo conveniens cepta quidem, non tamen absoluta hucusque fuerit. Quanquam saepius excursione improvisa Spiram pervenire ibique meis inspectionibus tum ecclesiae cathedralis e

Digitized by Google

suis ruinis surrecturae celeriorem progressum, tum cleri mores promovere soleam. — 2. **Visitatio dioecesis Spirensis.** — Ipse per breve tempus, quo cura hujus episcopatus mihi fuit commissa, gravioribus negotiis in loco residentiae a me peragendis impeditus eundem nondum visitavi, interea eas inivi rationes ac vias, per quas vix continget, aliquid ad officii mei partes pertinens notitiam meam effugere. Archipresbyteri forenses districtus sibi assignatos visitant singulis annis et de statu ecclesiarum parochialium mihi referunt in scriptis. Commissarios ad loca et personas, quibus ita expedire visum est, inspectionis ergo emitto, cuique parocho ac dioecesano ad me perscribendi aut mecum colloquendi ansam aperio, ac praeterea visitationem totius dioeceseos specialem et per commissarios conficiendam animo destinatam habeo. — 3. **Functiones episcopales.** — Has inde ab eo tempore, quo tanquam episcopus Spirensium solenni consecratione inauguratus fui, peregi omnes, quotquot in dioecesi mea peragi poterant; sacros ordines contuli, sacramentum confirmationis pluribus hominum millibus administravi, sacram communionem singulis fere diebus dominicis aut festivis distribui, sanctissimum altaris sacramentum in publicis solennibus processionibus portavi, etiam suffraganeum meum hoc anno a me nominatum et a sancta sede confirmatum solenni ritu consecravi et solam ordinationem ultimam suffraganeo meo apostolicae sedis authoritate mihi in adjutorium concesso reliqui. — 4. **Synodus dioecesana.** — Haec a me coacta hucusque non fuit, interea ejus vices singulis annis supplentur hac ratione: omnes parochi conveniunt in capitulo, quod sub directorio illius archipresbyteri celebratur, cui sunt adscripti. Fiunt deliberationes de iis, quae statum cujusque capituli et parochiae concernunt, defectus indicantur, modus emendandi proponitur, mihi meaeque dispositioni singula in scriptis subjiciuntur. Quaeque demum hac aliave ratione comperire potui atque reformanda putavi, abrupta omni mora ad eum reduxi statum, qui scopo ecclesiae ac saluti animarum convenientior videbatur. Verbo denique et exemplo data occasione saniora docere, gratia Dei, in quantum fragilitas humana patitur, hucusque contendebam. — 5. **Mulctae pecuniariae.** — Ita neque aliter in hac dioecesi sunt destinatae, ut inde piis fundationibus fiat accessio, ac proinde nonnisi ad salutem publicam ac levamen egenorum impenduntur. — 6. **Impedimenta jurisdictionis ecclesiasticae.** — Impedimenta jurisdictionis eccle-

Digitized by Google

siasticae sicuti in quovis alio fere regno, ita etiam in partibus Germaniae ac potissimum in episcopatu Spirensi sese exerunt sequentibus modis. — *A.* Generatim. — In omnibus negotiis religionem concernentibus, siquidem ullum caeteroquin remotum cum scopo civitatis videantur habere nexum, cognitionem vel solitariam, vel (quod extra suos limites tolerandum adhuc foret) communem sibi vindicant magistratus saeculares, atque in casu collisionis exceptionem ita faciunt, ut salus reipublicae neglecto ecclesiae statu obtineatur. Hinc 1. in causis sponsalitiis et matrimonialibus partes ad simplicem citationem se minus sistunt judicio ecclesiastico, sed prius desuper requiri volunt magistratus saeculares. 2. Ludimagistri, aeditui aliique ecclesiae ministri saeculares admittuntur, examinantur, rejiciuntur a dominis territorialibus, eorumque dicasteriis ac severioribus insuper mandatis cohibentur, ne quam vicariatus Spirensis depositionem eatenus agnoscant aut revereantur. 3. Bona a defuncto parocho relicta suae dispositioni qualicunque itidem subjiciunt; judices saeculares inventaria conficiunt, causas debitorum examinant et commissarium ad eadem negotia a vicariatu submissum vel omnino non admittunt, vel longe inferiorem post se relinquunt. — *B.* Speciatim vero non ita pridem ministri regis christianissimi et serenissimus marchio Badensis mihi meaeque jurisdictionis exercitio haec objecerunt impedimenta: 1. Illi causas beneficiarias, ubi quidem agitur de possessorio sub specioso hoc praetextu possessionis, quae nudum factum videtur respicere, ad suum evocant tribunal, et cum in rebus beneficiariis possessio sine titulo locum non habeat, simul de eo, quod hanc concernit cognitionem, sibi sumunt atque hac ratione nihil penitus cognitioni episcopali discutiendum relinquunt, quae quidem cogitandi ratio uti primo obtutu satis onerosa, ita etiam in causa Joannis Georgii Gelin, contra parochum meum et archipresbyterum dioecesanum Theobaldum Faigle in Hatzenbuehl et Hayna hucusque mihi vix toleranda fuit. Via sub- et obreptionis obtinuit ille Romae bullam, qua ei parochia in Hayna ex jure devolutionis collata fuit; huic se opposuit parochus in Hatzenbuhl ejusdem parochiae cum Hatzenbuhlensi unitae legitimus possessor, ejusque titulus ibi examinatus, communitati multa expensarum millia hucusque erant solvenda. Causa vertitur adhuc inter partes litigantes et vix aliter suum habitura est finem, quam cum insigni diminutione potestatis episcopalis et cum ever-

Digitized by Google

sione totius disciplinae ecclesiasticae, quae hucusque circa rem beneficiariam in illis terris locum habuit. Huic malo medela satis feliciter fuisset parata, si prius ab episcopo peti maluisset informatio, quam bulla fuerit concessa, quam ad mandata sanctae sedis ante expeditionem bullae quantocius ad sanctitatem vestram in scriptis fideliter deferre sincerissime appromitto. — 2. Idem regis christianissimi ministri illi fuere authores, ut nuper exactione 24 millium librarum gravaret clerum Spirensem, in territorio meo Galliarum tamen juribus majestaticis subjecto constitutum. Pecuniae vis sane tanta, ut eam pauculi earum terrarum parochi et caeteri adhuc beneficiati conferre neutiquam possint. 3. Denique serenissimus marchio Badensis acerba ecclesiae Spirensi infligit vulnera, hac ratione: subditos abbatiae, quam Albam dominarum vocant, excitat adversus jura ab illa hucusque exercita simulque eo impellit, ut etiam episcopi potestatem, quam quidem protestantes marchionis Badensis ministri causae suae minus propitiam fore autumant, in sacris declinent, unde nuper contigit, ut duae partes sibi desponsatae, quanquam ad judicium meum ecclesiasticum fuerint citatae, suum consensum matrimonialem non coram parocho suo ordinario, sed coram ministro protestantico fuerint contestatae, quae in tali nulliter contracto matrimonio peccata peccatis cumulando sine dubio convivere perennissent, si non vivis ordinariatus mei monitis excitati et permoti remedia sacramentalia tandem arripuissent et de more ecclesiae a parocho eorum proprio et vero noviter introuizari petiissent. — Cap. II. Clerus saecularis. — 1. **Officium divinum canonicum.** — Ad hoc debite persolvendum sat moventes providentia majorum pro hac dioecesi determinavit rationes; at has non modo confirmare, sed majoribus additis stimulis adhuc perficere mearum duxi esse partium. Eum in finem suffraganeo meo nunc Spirae commoranti in mandatis dedi, ut statuta ecclesiarum collegiatarum ab emin. antecessore meo quidem concepta, ad vim tamen legalem haud producta, cummunicato cum singulis collegiatarum ecclesiarum capitulis consilio, ad novum examen revocet, quaeque in eis mutanda aut limatius ponenda esse videantur, mihi proponat; non populari, sed severiori trutina denique rem examinabo, ipse et Deo dante figam leges ecclesiarum collegiatarum statui bonosque cleri Spirensis in aeternum profuturas. — 2. **Missa conventualis ejusque applicatio.** — Haec tum in cathedrali mea

Digitized by Google

ecclesia, tum in collegiatis rite celebratur et ad finem fundatorum intentionem, quantum scio, debite applicatur. — 3. **Praebenda theologi et poenitentiarii.** — Nostra aetate nec theologi, nec poenitentiarii praebenda in ecclesiis cathedralibus ad Moenum et Rhenum superiorem est cognita. In Spirensi sex numerantur praebendae, quae olim doctoribus mancipatae fuisse videntur, at haec praebendarum determinatio, quatenus quidem doctorum qualitatem requirit, inde jam ab immemoriali tempore nullo usu confirmata fuit et hinc tam facile resuscitanda haud videtur. Quae praebendam doctoralem equestris ecclesiae Bruchsaliensis concernunt, uberius exposui supra. — 4. **Parochorum officium.** — Residentia eorum legibus Tridentini convenienter per constitutiones dioecesanas specialius ita est determinata, ut ne per unam quidem noctem a suis parochiis abesse possint. Ad breve tempus et quidem ad tres tantum dies a loco sui beneficii discedere possunt licentia archipresbyteri. Si quis per longius tempus parochiam relinquere voluerit, licentia ei non ab alio, quam a me ipso concedenda erit. Singuli curati quinque sibi habere debeant libros. Primus nomina matrimonio copulatorum, alter baptizatorum, tertius confirmatorum, quartus defunctorum, quintus ordinationes et mandata episcopalia continere debet. Per literas pastorales brevi post consecrationem meam ad parochos datas iisdem distinctius proposui, qua ratione verbum Dei vere, perspicue, solide, complete debeant praedicare, quaque cum respectu et circumspectione se erga potestates saeculares, quibus parochiani sibi commissi in temporalibus subsunt, praesertim in terris protestantium gerere, quaque methodo concreditas sibi parochianorum animas ad aeternam salutem perducere debeant, uti latius videre est ex adjuncta epistola pastorali, tum ad parochos, tum ad PP. missionarios meae dioecesis emanata. Nunc vero etiam clerum meum specialius instruam, secundum quas regulas ille tenellam juventutem aliosque rudes prima doctrinae christianae elementa edocere debeat, et quidem rem sequentibus absolvam capitibus, ut is intelligere possit, 1. qua praxi etiam pueros aliosque rudes certos reddere debeat existentia religionis revelatae; 2. de existentia verbi traditi, ut hoc demum modo veri semina contra deismi aliosque protestantium errores etiam tenerioribus juvenum animis inserantur; 3. quibus uti debeat principiis ad evertendum regnum probabilitatis atque genuinam ideam obligationis,

Digitized by Google

quam Christus inculcat his verbis: Perfecti estote etc. animis informandum. Demum 4. studium meum adhuc eo collimat, ut parochis et universim clero curato per totam dioecesin meam, praevia communicatione cum eorum patronis, competentia stabilis et congrua, redditibus modernis proportionata, in certa et fixa pecuniae, fructuum et vini quantitate annue porrigenda, pro salario reguletur, nè dum plurimi prata, agros ac vineas loco salarii possident ac eorum culturam cum famulis diversi sexus curare debent, curis ejusmodi temporalibus nimis occupati, salutem animarum pretiosissimo sanguine filii Dei redemptarum sibi concreditam negligant, aut persaepe, uti in multis, proh dolor, modo compertum habui, in lites cum parochianis suis odiosas eatenus incidant, ut omnem eorum fiduciam a se amoveant sicque nihil boni amplius apud eos operari possint, vel etiam ex ejusmodi personarum simul in una domo famulantium nimis familiari conversatione non raro scandala ex mala suspicione populi in clerum redundantia excitentur. — 5. **Clerus regularis ejusque status moralis.** — Defectus morales hucusque sat multi sese prodiderunt ex parte cleri regularis ac praecipue mendicantium minus cauti in conversando contra sextum praeceptum subinde impegerunt. Officio meo pastorali secundum normam Tridentini eatenus locum esse volui, ut ejusmodi peccata superioribus detegerem, et qua ratione delinquentes correcti fuerint, accuratius rescire vellem. Minus arridet ista agendi ratio partibus ipsis et subinde eorum superioribus, ut tamen per canones probata a me nunquam est deserenda. Moniales clausurae leges, quantum mihi comperire licuit, omnino observant, et cum in interiorem disciplinae religiosae tum inter viros, tum inter mulieres stabilitae oeconomiâm altius penetrandi mihi hucusque ansa non fuerit, neque ulteriora de statu illorum morali referre mihi datum est. — 6. **Status moralis alumnorum seminarii.** — Seminarii continuus moderator ac visitator sum ego ipse. Huic insuper praefeci directorem, qui suae curae ac sollicitudinis socium habet alium subdirectorem. Utrique partes sui officii ita delineavi, ut ille ascesin puram et theologiam moralem ex genuinis sacrae scripturae, sanctorum patrum et adminiculantibus sanae rationis fontibus doceat, hic vero theologiam dogmaticam ex iisdem cognoscendi principiis juncta saniori philosophia distincte, solide et systematice proponat eamque ad modernum systema protestantium, qui sua dogmata in dies aliter deter-

Digitized by Google

minare solent, accommodet et erronea ejusdem inventa revellat, atque ita veritatem catholicam a majoribus in dioecesi mea propagatam deinceps porro illibatam conservet. Alumnos ad seminarium non admitto, nisi per concursum et examen rigorosissimum, quibus peracto examine, omni favore semoto, secundum vota examinatorum quoad primatum strictissime fit justitia; ne tamen praecellens capacitas et scientia tantum sint regula admissionis, debent insuper producere attestata legalia super vitae morumque integritate ac indole prona ad labores, et ad curandam animarum salutem, neque ex his, qui ad seminarium admissi sunt, ullus spem habet tituli a me obtinendi, nisi prius per aliquot annos in spiritu probatus fuerit ac me plene convicerit de idoneitate et spe certa, quod suo tempore cum fructu in cura populo praefici possit. His seminarii alumnis traduntur praecepta eloquentiae sacrae juncta tum inter privatos parietes, tum etiam in ecclesia aulica me praesente praxi. His accedunt aliae instructiones ad formandum cleri curati genium necessariae, et si mea vota suis porro auxiliis secundaverit coelum, hoc seminarium, quod quidem est primarium sollicitudinis meae postoralis argumentum, ita deinceps perficiam, ut ex eo prodire possint viri contra omne genus errorum et nequitiae satis fortiter praeliaturi. — 7. **Populus Spirensis.** — Statum animarum quotquot intra limites dioeceseos meae subsistunt, exhibet subjecta tabula, de parte catholica bonam mentem et satis pronum ad capiendas doctrinae christianae veritates ingenium usu ipso et experientia habeo compertum. Dominantes his in terris abusus pravasque consuetudines pro viribus coercere semper studebo atque ita demum contendam, ut rationem redditurus pro animabus mihi concreditis secure divino judici me sistere valeam.

---

395. *Wilderich bischof zu Speyer hebt die leibeigenschaft im hochstifte Speyer auf. Bruchsal,* 1798 *juni* 22.

Von Gottes gnaden, wir Wilderich, bischof zu Speyer, probst der gefürsteten probstei Weissenburg, des heiligen Römischen reichs fürst etc. etc. Gleich mit antritt unserer regierung hatten wir beschlossen, die leibeigenschaft in unsern hochstifts landen aufzuheben; wir fanden aber unser fürstliches cameralärarium in so misslichen, durch den krieg und durch den verlust aller von unsern überrheinischen lan-

Digitized by Google

den fälligen einkünften veranlassten umständen, dass es vor der hand unumgänglich nöthig schien, die leibeigenschaft noch fort bestehen und die davon herrührenden, zu den radicaleinkünften gehörigen abgaben in so lange noch erheben zu lassen, bis bessere zeiten unsere kameralkasse wieder in stand setzen würden, die derselben obliegenden ausgaben zu bestreiten. Um jedoch unsern geliebten unterthanen zu bethätigen, wie gerne wir denenselben jeden last erleichtern möchten, erliesen wir beinahe allen inzwischen manumittirt und nicht ausser land gezogenen leibeigenen unterthanen die manumissionsgebühren, wo nicht ganz, doch zum grossen theil. Allein! wir sind durch die bei diesem versuche gemachten beobachtungen überzeugt worden, dass, ungeachtet dieser unserer landesväterlichen nachsicht, die leibeigenschaft dem landmanne doch immer noch lästig bleibt, und wollen daher nicht länger säumen, solche gänzlich abzuschaffen. Wir erklären also die leibeigenschaft in allen unsern diesseits Rheins gelegenen, unter unserer alleinigen unmittelbaren landeshoheit und gerichtsbarkeit stehenden hochstifts landen von heute an vollkommen aufgehoben, und wollen sämtliche, nicht ausser land ziehenden unterthanen in benannten unsern landen als leibesfrei erkannt und von nachbemerkten, aus der leibeigenschaft herrührenden, lediglich auf den personen und nicht auf den gütern haftenden abgaben, als: a) von dem leibzinss, b) von dem hauptrecht, besthaupt oder todfall und c) von den manumissionsgebühren befreit wissen, ohne dass sie dafur einigen ersatz zu leisten hätten. Von dieser freilassung bleiben aber einsweilen noch ausgenommen: a) die gemeinschaft Gernsbach, bis wir wegen der verhältnissen mit Baden eine anderweitere auskunft werden getroffen haben; b) die gemeinde Lussheim; dann c) die gemeinherrschaft Neckarsteinach samt zugehörden; fort d) alle sonstige orte, die nicht unmittelbar unter unserer alleinigen hohen und niedern gerichtsbarkeit stehen; wie auch e) die jenseits Rheins gelegenen, der leibeigenschaft unterworfenen hochstiftlichen ortschaften, bis wir nach erfolgtem reichsfrieden wegen ihrer freilassung das weitere verfügen werden. Alle in diesen, von der freilassung einsweilen noch ausgenommenen ortschaften wohnenden leibeigene bleiben daher bis auf anderweitere verfügung in ihrem bisherigen verband der leibeigenschaft und entrichten, so wie auch jene, so aus den freigelassenen orten dahin ziehen werden, alle

Digitized by Google

damit verknüpften abgaben. Desgleichen verbleiben auch die in anderer herren ländern und ortschaften wohnenden, uns zugehörigen leibeigene von gegenwärtiger freilassung noch zur zeit ausgenommen und müssen bis zur ferneren bestimmung ihre bisherigen, herkömmlichen abgaben fort bezahlen. Damit aber auch in rücksicht der freigelassenen ortschaften über die folgen ihrer freilassung kein zweifel entstehe, so erklären wir: 1) dass sämtliche unsere unterthanen ohne ausnahme nach maasgabe der bisherigen observanz und dahin einschlägiger landesverordnungen zu den soldaten-, frond- vnd sonstigen diensten, in so fern sie nicht durch besondere begünstigungen davon befreit sind, oder befreiet werden, wie bisher, so auch in zukunft, verbunden und gehalten seyn sollen. 2) Dass die wegen auswanderung und annahme auswärtiger kriegsdienste bestehenden verordnungen nach wie vor beobachtet werden müssen, folglich kein unterthan in andere kriegsdienste gehen, noch ausser land ziehen dürfe, es seye dann, er habe dazu unsere landesherrliche erlaubniss erhalten und all dasjenige beobachtet, was die desfallsigen verordnungen besagen, widrigenfalls alle bisherigen folgen der leibeigenschaft und sonstige verordnungsmässige strafen platz greifen vnd vollzogen werden sollen. 3) Dass diejenigen, welche die erlaubniss erhalten, ausser land zu ziehen, alle bisher üblichen abzugs-, manumissions- vnd sonstige desfalls herkömmlichen abgaben in so lang noch entrichten sollen, bis wir mit andern ständen und herrschaften eine wechselseitige zugsfreiheit werden festgesetzt haben. Zu unsern geliebten unterthanen versehen wir uns, dass sie die aufrichtigkeit der unserer gegenwärtigen erklärung zum grunde liegenden väterlichen gesinnungen erkennen, solche durch zutrauen und anhänglichkeit erwiedern und sich überzeugen werden, dass wir nichts sehnlicher wünschen, als durch bessere zeitumstände in stand gesetzt zu werden, ihnen noch ferner zu beweisen, wie sehr uns angelegen ist, ihr wahres beste auf alle weise zu befördern vnd glück und wohlstand unter ihnen zu verbreiten. Gegeben in unserer residenzstadt Bruchsal, am 22ten junius 1798. Wilderich, bischof und fürst zu Speier. (L. S.)

Digitized by Google

396. *Wilderich bischof zu Speyer empfiehlt dem pabste Pius VII. die deutsche kirche. Waghäusel,* 1803 *märz* 7.

Beatissime pater! Mirum in modum erexerunt afflictum animum meum literae, quibus sanctitas vestra paterna sensa sua de ecclesiae Germanicae difficillima re mihi explicare dignata est et eam exponere partem, quam hujus ecclesiae pro apostolici sui muneris ratione capere non desinit. Digna profecta est haec Germaniae ecclesia singulari sanctitatis vestrae et sanctae illius sedis attentione atque cura, utpote quae inter diversas ex imperii sanctionibus vigentes in Germania religiones, agitata saepe et pressa, salva tamen incolumis hucusque perstiterat, fulta auctoritate praelatorum, qui et ipsi imperii principes propriis viribus resistere adversis conatibus poterant provida majorum dispositione pedo gladium jungentes. Cum fatum privaverit praerogativa statuum imperii ecclesiasticos principes et exinde domesticis viribus exuerit, non tantum inermis insultibus quibusvis exposita erit ecclesia Germaniae, sed et redundante in ecclesiam non tantum universam, verum in ipsam sanctam sedem singulari splendore uno ictu spoliata est ac in eum redacta statum, ut, qui hactenus decori ac fulcro fuerant ecclesiis et capitulis magnorum principum filii fratresque, deinceps ab amplectendo clericatu tantopere dejecto certo certius abstineant. Cum et cathedralium et collegiatarum ecclesiarum capitula pereant ac religiosorum monasteria extinguantur, penuria profecto sacerdotum vitari nequibit et aegerrime providebitur ministerio sacro, unde non refrigescere fidelium devotio et non rasescere religiosi cultus exercitium non poterit. Ecquis enim porro amplectetur statum, cui mancipatum esse vituperium est! Persuasus omnino, beatissime pater! sanctitatem vestram haec omnia cordi habituram esse, quando de instituendo ecclesiae Germanicae futuro statu et de conficienda eapropter publica sanctione quaestio tractabitur. Metum justum, qui animos ecclesiasticorum principum hocce tempore agitare non desinit, in paternum sanctitatis vestrae sinum effundo, nec desinam supremum numen exorare, ut suae in terris ecclesiae succurrere dignetur, apostolicam vero benedictionem mihi gregique meo enixius exorans, emorior. Waghäusel, die 7. martii 1803. Wildericus, episcopus et princeps.

Digitized by Google

397. *Wilderich bischof zu Speyer findet sich mit dem markgrafen von Baden wegen abtretung des hochstiftes Speyer ab. Waghäusel.* 1803 *märz* 23.

